DE

VETERUM GERMANORUM

NOBILITATE.

SCRIPSIT

JOANNES MATHIAS WATTERICH.

MONASTERII,

APUD FRIDERICUM CAZIN.

MDCCCLIII.

GUILELMO REINKENIO

PAROCHO BONNENSI

S U A V I S S I M A E

ET PIETATIS ET VERECUNDIAE

ERGO

D. D. D.

J. M. Watterich.

INDEX.

Prooemium.

Cap. I.

Cap. II.

De nobilitatis apud veteres Germanos ordine in universum.

Cap. III, a.

De nobilitatis cum regno necessitudine.

Cap. III, b.

De nobilitatis cum principatu necessitudine.

Cap. IV.

De Germanorum nobilitatis natura.

PROOEMIUM.

Inter omnes de rebus Germaniae quaestiones primum fere locum tenet ea, quae est de nobilitatis apud Germanos natura. Qua quidem de re tanta inter viros peritos tamque acris extitit controversia, ut ab eo, qui historiam nostram penitus cognoscere voluerit, praeteriri prorsus non possit. Itaque quum primum ad ea studia me contulissem, mirifica quadam captus sum quaestionis illius tractandae cupiditate. Nobilitatem autem quum ad primam gentis nostrae aetatem pertinere viderem, accurate investigari a me non posse perspexi, nisi ad ipsa primordia descendissem. Quod ut facerem, duae me praeterea causae vehementer excitabant. Primum enim de hac re iam ab aliis [1]) tam erudite tamque acute disputatum est, ut multa, quae non nimis accurate dicta erant, continuo refutata et in perpetuum reiecta, plura et ea quidem, in quibus inest cardo quaestionis, non confirmata quidem, clare tamen proposita esse videantur. Plurimum autem illud mihi animi addidit, quod Savignius testatur, hanc nostram disputationem non modo non finitam, sed ne recte quidem esse inceptam. [2]) § 1.

1) Eichhorn, deutsche Staats- und Rechtsgeschichte, 4. Aufl. I. Band, § 14 ff. Savigny, verm. Schriften, 4. Band, 1836 resp. 1838: Beitrag zur Rechtsgeschichte des Adels im neuern Europa. Loebell, Gregor von Tours, 1839. S. 113 ff. 502 ff. Waitz, deutsche Verfassungsgeschichte, 1844. 1. Band. Accedunt libelli: Entstehung des deutschen Königthums, 1844, von Sybel, von Maurer, Ueber das Wesen des ältesten Adels der deutschen Stämme. 1836.

2) Verm. Schriften, 1850, 4. Band. XXXVI, Vorbemerkung: „der Gegenstand dieser Schrift ist späterhin in mehreren, theilweise ausgezeichneten Werken bearbeitet worden, und dabei hat diese Schrift vielfache Anfechtung erfahren. Allein auch meine Gegner sind in den Hauptfragen noch keineswegs zu einer

§ 2. Quum igitur de prima nobilitate Germanorumque propria dicendum sit, ab eo proficiscendum est, ut prima Germanorum aetas certis finibus circumscribatur. Qua in re vix dubium esse potest, quin a primis temporibus ad Merovingorum quidem tempora non sit progrediendum. Germanorum enim instituta et privata et publica expugnatis Romanorum provinciis ad istorum etiam mores magnam partem conformata esse nemo nescit. Sed ne diruti quidem imperii Romani tempore prima illa aetas iuste terminatur. Nam inter tot tamque diuturna bella, quae Germani sedibus patriis relictis et ad Romanorum fines et per omnes fere vasti imperii provincias gerebant, apud catervas illas feroces, quae ne iustae quidem aciei ordinem servabant, quis vitae tranquillae quaereret instituta!

Redeundum est igitur ad tempora illa tranquilla, quibus gentes Germanicae suis quaeque finibus circumscriptae moribus integris et a maioribus acceptis utebantur. Quanquam quoad longissime per rerum Germanicarum scriptores respicere licet, plane quietas eas non invenimus. A Drusi enim Tiberiique in Germaniam expeditionibus (a. 12. ante Chr.) usque ad Batavorum seditionem (a. 70. post Chr.) Germani continuo ab Romanis lacessiti et oppugnati sunt. Sed tantum abest, ut his bellis Germanorum mores commutarentur, ut de eis ipsis [3]) contra Romanos per totum fere saeculum acerrime pugnaretur. Erant igitur ea aetate integri Germanorum mores: quos si quis fuit, qui integritate ac fide historica prodidit, eius testimonio ad quaestionem nostram uti licet.

Einigung gelangt, und eine befriedigende Lösung derselben steht vielleicht noch auf bisher unbetretenen Wegen zu erwarten. Unter diesen Umständen schien es nicht angemessen, hier in einem blosen Nachtrag einzelne Aeusserungen niederzulegen über einen Gegenstand, der so tief in die deutsche Geschichte eingreift. Auf der andern Seite aber schien auch der unveränderte neue Abdruck der vorliegenden Schrift nicht ganz unnütz, indem darin eine Ansicht der Sache vertreten wird, deren Berücksichtigung auch von künftigen Bearbeitern nicht wohl wird umgangen werden können."

3) Tac. Ann. I, 50. Arminius Cheruscos his verbis adversus Romanos exhortatur: „hominem (Varum) Germanos nunquam satis excusaturos, quod inter Albim et Rhenum virgas et secures et togas viderint... Si patriam, parentes, antiqua mallent ... Arminium potius, quam Segestem... sequerentur!"

Potuisse autem a Romanis tum cognosci Germanos, multa sunt quae comprobent. Etenim Romani, ut qui bellum inferrent, Germanos, quum moribus illis patriis per quietem viverent, offenderunt. Quales autem invenerunt, si accurate nobis tradiderunt, fidem negare nemo eis poterit. Ex captivis etiam Germanis, quibus victores triumphos ornabant, permulta audire poterant. Clarissimus ea de re locus est apud Strabonem aequalem (ed. Cramer. VII, 1, 4.): § 3.

Ἔτισαν δὲ δίκας ἅπαντες (a. 16. a. Chr.) καὶ παρέσχον τῷ νεωτέρῳ Γερμανικῷ λαμπρότατον θρίαμβον, ἐν ᾧ ἐθριαμβέυθη τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν σώματα καὶ γυναικῶν· Σεγιμοῦντός τε Σεγέστου ὑιὸς, Χηρούσκων ἡγεμὼν, καὶ ἀδελφὴ αὐτοῦ, γυνὴ δ' Ἀρμενίου τοῦ πολεμαρχήσαντος ἐν τοῖς Χηρούσκοις ἐν τῇ πρὸς Οὔαρον Κουΐντιλλιον παρασπονδήσει, *καὶ νῦν ἔτι συνέχοντος τὸν πόλεμον*, ὄνομα Θουσνέλδα, καὶ ὑιὸς τριετὴς Θουμέλικος· ἔτι δὲ Σεσίθακος, Σεγιμήρου ὑιὸς τῶν Χηρούσκων ἡγεμόνος, καὶ γυνὴ τούτου Ῥαμίς, Οὐκρομίρου θυγάτηρ, ἡγεμόνος Χάττων, καὶ Δευδόριξ, Βαιτόριγος τοῦ Μέλωνος ἀδελφοῦ ὑιὸς, Σούγαμβρος. Σεγέστης δὲ ὁ πενθερὸς τοῦ Ἀρμενίου καὶ ἐξ ἀρχῆς διέστη πρὸς τὴν γνώμην αὐτοῦ καὶ λαβὼν καιρὸν ηὐτομόλησε, καὶ τῷ θριάμβῳ παρῆν τῶν φιλτάτων, ἐν τιμῇ ἀγόμενος· ἐπόμπευσε δὲ καὶ Λίβης τῶν Χάττων ἱερεύς· καὶ ἄλλα δέ σώματα ἐπομπεύθη ἐκ τῶν πεπορθημένων ἐθνῶν. Similis Taciti locus est Germ. c. 8: *Vidimus* sub divo Vespasiano Veledam (Romae in triumpho ductam a. 70 p. Chr.).

Neque vero eadem semper erat belli acerbitas; nonnunquam pax erat inter utrosque,[4]) quo factum est, ut multae gentes frequentissimo uterentur Romanorum et commercio et consuetudine. Mittebantur legationes ultro citroque, quae quanto curiosius peregrina mirabantur, tanto diligentius domi narrabant. Neque desunt testes, qui nullum prorsus dubitationi locum relinquunt. Germani enim nobiles ex gentibus Romano imperio amicis Romae per longum saepe tempus degebant nobiliumque Romanorum consuetudine utebantur. Quae quum ita essent, fieri non potuit, quin Germanorum et indoles et instituta a Romanis cognoscerentur. Et profecto non modo cognoverunt, sed litteris etiam pro- § 4.

---

4) E. g. ea aetate, qna Varus gentes Garmanicas, qui usque ad Suevorum regnum habitabant, fere omnes in provinciae formam redegerat.

5) V. c. Cherusci, Segeste principe.

diderunt; Plinium XX libros de bellis Germaniae[5]) scripsisse constat; Livius libri CIV. dimidiam partem Germanorum moribus exponendis tribuit; praeterea alios, qui de rebus tum gestis scripserunt, etiam de Germanis dixisse, veri simile est.[6]) Omnium igitur virorum eruditorum oculi animique, non metu solum et terrore, sed etiam admiratione ad Germanos ita sese converterant, ut nemo esset, quin novam magnamque gentem in medium prodiisse sentiret.[7])

Ac cum res ita se haberet, egregius de situ moribusque Germanorum liber conscriptus ab eo viro est, qui et ea erat gravitate, ut vera Germanorum imagine describenda aequalibus se profuturum merito speraret, et ea animi integritate, ut iustam vel hostium gloriam posteris tradere studeret. Fatendum profecto est, a Tacito de Germanis scribi librum non potuisse, nisi ut Germani cognoscerentur. Quae causa quum in promptu sit, adsciscere aliunde alias nescio quas minime licet. Quocirca non nimis dolendum esse crediderim, quod eius aetatis ad cognoscenda Germanorum instituta publica testis servatus unus est Tacitus. Quae certiora essent, referre illorum temporum Romanus nemo certe poterat.[8]) In quaerenda igitur primae nobilitatis Germanicae natura ita Tacitus sequendus erit, ut ab eius auctoritate nunquam recedamus, nobilitatemque eam, de qua nobis agendum est, Taciteam possimus appellare.

Quae iam a nobis exposita sunt, quoniam tantopere ab historicis fere omnibus abhorrent, accuratius confirmanda sunt. Plerique enim, ut eius aetatis res publica Germanorum qualis fuerit, cognosceretur, non solum Tacitum, sed pari cum eo auctoritate Caesarem adhibuerunt.[9]) Qua re quantopere hanc quaestionem

5) Plin. Epist. III. 5.

6) De tota hac re cf. Fr. Rühs, Erläuterung der zehn ersten Capitel der Germania, S. 28—38.

7) Plena Taciti scripta sunt eius admirationis Ann. II, 88. Germ. 4. 33., passim.

8) Sunt qui Tacitum intelligi non posse nisi ex legibus institutisque tribus quatuorve saeculis post conscriptis contendant. Qui duobus mihi modis, et in Tacitum et in sanae interpretandi artis leges peccare videntur.

9) De alio praeter Tacitum et Caesarem scriptore disputari hac in re nequit, quum nemo alius, qui de ipsis Germanorum moribus consulto scripserit, nobis supersit. Perpauca sunt, eaque vix ullius momenti, quae ad hanc quaestionem ex Plinio, Strabone, Dione Cassio redundent.

perturbaverint, dici non potest. Ne multa. Quum Caesar cum Tacito vix ac ne vix quidem coniungi posset, non multum aberat, quin Tacito etiam nostra aetate privaremur. Caesari autem cur nihil ad hanc quaestionem auctoritatis tribuamus, paucis dicemus.

Ac primum quidem earum rerum, quibus factum est, ut Taciti tempore Germanorum instituta magis innotescerent, Caesari fere nulla adfuit. Caesar enim quod unum bellum cum Usipiis Tenchterisque (l. IV.) satis breviter gessit, duplicem deinde Rheni transitum frustra suscepit, non rerum Germanicarum scriptor, sed hostium dux ad Germaniam accessit. Gentem a se neque satis cognitam neque devictam commentariis ornari quid eius interfuit? Verum enimvero quae omnino falsa sunt, inveniuntur apud eum non pauca. Etenim quum multos a Germanis singularesque coli deos consuevisse constet ex Tacito:[10]) Caesar dicit deos, quorum ne unius quidem prodit nomen Germanicum, eis tres fuisse solos;[11]) de sacrificiis vero adeo cum Tacito pugnat,[12]) ut plane contrarium pro certo affirmet.[13]) Comitatuum vero illam quidem naturam, a Tacito capp. 13. et 14. tam diserte explicatam, quam parum intellexerit, ex l. VI c. 23. elucet,[14]) quem locum ad comitatum referendum esse nemo negabit. Solos in exercitu sacerdotes habuisse vinciendi puniendique potestatem Tacitus dicit; Caesar contra (VI. 23.) non sacerdotibus, sed ducibus potestatem illam tribuit.[15]) Tacitus in ea „Germaniae“ parte, quae est de moribus Germanorum in universum, de regno ita loquitur, ut Caesaris verba: „In pace nullus communis est magistratus“ (VI 23.) vera esse non possint. Quae quum ita sint,[16])

---

10) Germ. 9.

11) Caes. VI 21: Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt . . . . Solem, et Vulcanum et Lunam.

12) Caes. VI 21: neque sacrificiis student. cf. Tac. G. integra capp. 9 et 10.

13) Male Sybelius eam discrepantiam eo explicari putat, quod inter Caesaris et Taciti aetatem sacrorum vicissitudo intercesserit. Sacra non ita celeriter mutantur.

14) Latrocinia nullam habent infamiam . . . . atque ubi quis ex principibus in concilio dixit . . . . si sequi velint profiterentur etc.

15) Magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur.

16) Quae inter istos primae aetatis scriptores omnino intercedit diversitas,

fatendum est, Tacitum ipsum, cui Caesaris commentarios inspicere licuit, nullam ei tribuisse auctoritatem. Atque ita demum, cur Tacitus ea, quae de Germanorum agricultura a Caesare mira copiositate (IV 1, VI 22.) disseruntur,[17]) omiserit, recte perspicitur.[18]) Sed haec hactenus.

Quum igitur nobilitatis Germanicae natura nobis quaerenda sit, Taciti libello, quem de situ et moribus Germanorum scripsit, tanquam fundamento firmo utemur,[19]) ex Annalibus vero et Historiis exempla idonea sumemus.

CAPUT I.

§ 5. Quaestionem quam proposuimus, movit is, qui historiae iuris publici Germani perscrutandae princeps fuit ac fere auctor, C. Fr. Eichhornius.

Qui quum universum iuris Germanici decursum enarrare vellet, non potuit, quin inde ab illa aetate repeteret, qua in-

---

sanari minime potest, si Sybelium audimus, qui eam (p. 66—70.) ex temporis intervallo, quod Caesarem inter et Tacitum interfuit, deducit. Verum Caesari cum Tacito consentienti fidem non abiudicamus.

17) Quanquam ambiguitate quadam manifesta; VI 22: „Agriculturae non student" — 29: „quod, ut supra demonstravimus, minime omnes Germani agriculturae student."

18) Caesaris fidem qui hac in re nullam esse ostendere velit, ex eo, quod Suevos tantum Caesar cognoverit, is (Tac. G. 39.) vel partem tantum Suevorum a Caesare cognitam fuisse (Caes IV. 1: hi centum pagos....) facile probabit.

19) Sunt qui Taciti vocabula „rex, regius, regnum, regnare" translato sensu posita esse contendant. Illi autem ad confirmandas opiniones praeiudicatas Taciti abuti mihi videntur. Equidem istius verba, quorum notiones cognitas habebat, sensu non suo et proprio interpretari religiosum puto. Neque enim Sybelio assentior, qui verba illa aliud in libro de Germania, in Annalibus Historiisque aliud significare confirmat, et id quidem ratione allata nulla. Tantum vero abest, ut Tacitus in Annalibus Historiisque minus accurate locutus sit, ut quam diligentiam aciemque non ita multo ante et ad cognoscendam Germaniam et ad scribendum de ea libellum adhibuerat, eadem instructus ad libros illos scribendos accesserit. Libellum enim de Germania scriptum esse a. 99., Historias certe a. 102., Annalos vero postremum, ipsius scriptoris testimoniis constat. Boetticher, Lexicon Taciteum, prolegomena XIV—XVII.

stitutorum Germanorum omnium fontes principiaque latere vidit. Itaque uno fere duce Tacito vetustissimam Germanorum rei publicae formam exponere conatus est deque nobilitate ita statuit:

1. nobilitatem propagatum genere ordinem esse ab aliisque separatum;
2. solos nobiles creatos esse magistratus;
3. eosque unos comitatuum fuisse duces.

Sed haec magis sensu quodam, quam iustis accuratisque rationibus ad interpretationem adhibitis ab eo conclusa sunt. Nam quum verbo „nobilis" Romano more uteretur, non solum nobilitatis Germanicae notionem ipsam, sed etiam illud inde manare putavit, solos nobiles ad magistratus pervenire potuisse; quam quidem rem vel ex vocibus „plebs" et „principes" saepe sibi in „Germania" oppositis, praecipue vero ex Germ. 13.[1]) apparere iudicavit.

Eichhornium secutus est Savignius. Qui quamvis in eadem fere cum Eichhornio sententia esset, Taciti tamen Germaniam diligentius inquisivit. Et alia quidem in perpetuum confirmavit, alia vi quadam divinatoria ita proposuit, ut et eos, qui ab ipso dissentirent, ad rem accuratius tractandam excitaret, et ei, qui ipsius sententiam ad finem se perducturum polliceretur, palmam et operosam faceret et honestam. § 6.

Sed quae attulit ad confirmandam sententiam illam nova, haec sunt:

Primum ex idoneis quibusdam Germaniae et Annalium locis[2]) nobilitatem ordinem fuisse definitum propagatumque genere comprobat. Nobilitati vero praeter regnum[3]) etiam reliquam rei publicae summam eam ob causam vindicat, quod nullos principes (cui voci apud Tacitum propriam comitum ducis significationem esse dicit) nisi ex nobilitate esse possint.[4])

---

1) „In signis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adolescentulis adsignant." Voculam „aut" sensu explanativo accipit.

2) Germ. 25, 44. Ann. XI, 16.

3) Quanquam quo modo Germ. 7: „Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt" interpretandum sit, dubius haeret.

4) Minime vero Savignius verbo „principes" nullam nisi nobilitatis notionem subiecit; sed ex sententia (p. 11): „Der Ausdruak „plebs" bildet einen befriedigen-

Principes enim, quos summa iura primum ordinem esse declararent, non solum a nobilitate alienos, sed ne diversos quidem esse.[5]) Facere ad eandem sententiam locum obscuriorem Germ. 13. („Insignis nobilitas . . . . ceteri") recte explicatum. Denique Tacitum Germ. 14. („plerique nobilium adolescentium") declarare principes nobiles esse ipsos.

His rationibus allatis, Savignius effecisse se existimavit, nobilitatem rei publicae summam tenuisse.

§ 7. Haud ita multo post Loebellius quum Gregorio Turonensi usus de Francorum regno disputaret, veterem rem publicam Germanicam investigare studuit.[6]) Quod quum sibi proposuisset, necesse fuit de nobilitate diceret. Qua in re tanto magis sine ullo studio ab hac disputatione alieno agere ei licuit, quum regni Merovingici nobilitatem prorsus a vetere illa Tacitea diversam esse videret. Sola igitur Taciti auctoritate nisus quasi quodam fundamento duabus usus est rationibus:

Una quod verba „nobilis, nobilitas" in Taciti Germania de rebus publicis fere nusquam adhibita essent, verbum „principes" saepissime; ex quo suspicari liceret, in re publica nobilitatem nihil aliud valuisse, quam ingenuos. Altera, quod Germanorum animus libertatis [7]) i. e. licentiae illius ac ferociae amans tam vere esset Germanicus, ut quaecumque res publica ab illo animo abhorreret, Germanorum esse non posset. Istius autem generis quum ea esset, in qua nobilitati omnium rerum tribueretur summa, eam falsam esse necessario. Nobilitatem igitur tempore Taciteo protestatem quidem in Germanorum re publica obtinuisse nullam.

---

den Gegensatz nur, wenn man in dem Princeps, dessen Begleiter sie sein sollen, die nobilitas stillschweigend voraussetzt," — satis apparet, Savignium „principes" non omnino idem ac „nobiles" habuisse.

5) Germ. 11, 12 („leguntur . . . .," quem locum, quum „principes" duplicem vim hoc in libro habere non posset, ita interpretatur: ex principum numero ii, qui . . . .), 13. 14. 22 („de adsciscendis principibus . . .").

6) p. 113 ff.

7) p. 115: Es ist aber schwer einzusehen, wie bei einem aus der Verbindung aller dieser Vorzüge nothwendig hervorgehenden Uebergewicht des Erbadels jener demokratische Geist aller Freien bestehen konnte, jenes Gefühl der Ungebundenheit und Unabhängigkeit, wie sie aus der alten deutschen Geschichte unzweideutig zu uns sprechen . . . . . Einem solchen Stande . . . . würde zur wirklichen (!) Herrschaft wenig gefehlt haben.

At vero huic sententiae omnium, quae de nobilitate sunt Taciti verborum vel manifestissima omnino contraria sunt.[8]) Quae quum ne Loebellius quidem ipse ad nobilitatem referenda esse negaret, via ei aliqua ingredienda fuit, qua in suam ea sententiam converteret.[9])

Primum igitur nobilitati magnam tum gentium verecundiam fuisse conservatam monuit et eam gloria militari opibusque fortasse auctam. Sed quum ea loco illi non satis faceret, hanc Loebellius sibi finxit sententiam:

Nobilitati iura antiquitus quidem plurima fuisse, ingenuorum tamen animis studiisque ad δημοκρατίαν inclinantibus sensim minuta esse atque demta; tempore autem Taciteo iam nihil ei reliquum fuisse, nisi illud, ut ne quis nisi nobilis ad regnum perveniret.[10]) Quam ut veram demonstraret, Eichhornius ac Savignius ei fuerunt refutandi.[11]) Itaque Loebellius quum Savignium nullum inter „principes" ac „nobiles" discrimen statuere putaret,[12]) primum de illo quidem discrimine disputavit, ob eamque causam principibus nobilitatis nomen tribui unquam posse negavit.[13]) Alteram adversus Savignium rationem ex eo sumpsit, quod duces, quorum in sententia illa: „duces ex virtute" mentio fieret, certe comitatum habuissent; qui autem ex virtute duces creati essent, non continuo nobiles fuisse. Esse igitur teste ipso Tacito comitatuum duces, qui minime ex nobilitate sola sumpti fuissent; ad hos autem verbum „principes" referre Savignium: principes ergo et nobiles prorsus non esse eosdem.

Jam redarguere conatur argumentum ex cap. 14.[14]) petitum: cuius tamen vim propriam, quae, si quid video, in grammatica,

---

8) p. 116: Nun kann es nicht — dastand.

9) p. 117. Die Königswürde — verknüpft war.

10) p. 117: N u r die Königswürde — verknüpft war.

11) Vierte Beilage, p. 502 ff.

12) p. 505: Es beruht diese (Savignii) Annahme vorzüglich auf der Meinung, dass Tacitus auch da, wo er sich des Ausdrucks principes bedient, d i e N o b i l i t ä t b e z e i c h n e n w i l l.

13) Loebell. l. c. p. 506: Wohl aber etc.

14) Si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt; quia . . . . magnum comitatum nonnisi vi belloque tueare.

quam dicunt, necessitate posita est,[15]) omnino neglexit et ex militaribus nostrae aetatis institutis aliam sibi petivit interpretationem.

Denique quod Savignius „principes" „plebi" opponi[16]) eam ob causam contendit, quod illí fuissent ex nobilitate, Loebellius rursus illud tantum efficit, „nobiles" non esse eosdem et „principes." Neque vero Savignius illud quidem vult, utrosque eosdem esse ita, ut nobilis nemo esse possit, nisi idem sit princeps. Locum autem Germ. 12. Loebellius ita interpretatur, ut oppositionem, quae est inter „principes" et „plebs" hanc esse dicat: magistratus ex plebe delecti et multitudo reliqua.

Est alia quaedam de nobilitatis natura sententia, quae fuit Loebellio refutanda. Fuerunt enim, qui ex comitatibus nobilitatem ortam esse dicerent. Qui quomodocunque et sententiam suam defenderunt, et a Loebellio impugnati sunt, praetermittendi sunt, propterea quod omnibus auctoribus magis, quam Tacito usi sunt.[17])

§ 8. In impugnanda Savignii sententia Loebellium excepit Waitzius. Qui quum, crescentibus ubique et libelli de Germania historicisque rerum veterum Germanicarum studiis, multo accuratius eius aetatis statum publicum sibi tractandum sumeret, quae Loebellius inceperat, acrius ac prope nimia acie persecutus est. Loebellius enim quanquam principatum separavit a nobilitate, neque tamen cum ea artissimo vinculo regnum esse coniunctum negavit, neque principatus comitatusque naturam necessitudinemque diserte exposuit. Quae quidem utraque Waitzio, quanquam ceterum Loebellium secutus est, vehementer displicuerunt.

Neque enim principatum tantum, sed etiam regnum a nobilitate seiungendum esse, comitatum vero, ne ius in re publicà ullum nobilitati proprium relinqueretur, ad solos principes ex liberorum multitudine electos, pertinere statuit. Haec igitur tria sunt, quae demonstrare conatus est Waitzius.

---

15) Sav. l. c. p. 12: So werden einmal (c. 14.) geradezu die principes als der junge Adel bezeichnet.

16) Ann. I, 55: nihil ausuram plebem principibus amotis. Germ. 12: eliguntur in iisdem conciliis et principes . . . . singulis ex plebe comites adsunt.

17) Omnia argumenta ex migrationis aetate repetunt.

Primum quidem separandum a nobilitate ait esse regnum. Fuisse enim gentium Germanicarum quasdam, quarum rei publicae forma, quum nobilitas apud omnes inveniretur, regem neque haberet, neque amisisset, neque desideraret.[18]) Deinde vero principatum non pependisse ex nobilitate, ait. Quod ut probaret, Loebellio consentiens, Taciti testimonia principes non genere, sed potestate prodere dixit: quae quidem contra Savignium nihil valere, iam exploratum habemus.

Sed ne necesse quidem fuisse ex nobilibus principes eligerentur Waitzius, ostendere studuit. Principes enim ex Germanorum more electos esse prorsus libere,[19]) neque Tacitum usquam nobilitati in illo quidem delectu primas tribuere; sed apparere quibusdam ex locis [Germ. 11.: mox rex vel (1.) princeps, prout (2.) aetas, prout (3.) nobilitas. — C. 13: insignis nobilitas aut (i. e. quod idem valet) magna patrum merita], ingenuosin re publica nobilibus nihil cessisse. Potuisse igitur principes eligi pari modo ex utrisque, et ex nobilibus et ex ingenuis. —

Denique quod Savignius putasset, comitatum unis tribuendum esse nobilibus, hoc et ipsa rerum natura et Taciti verbis refelli. Comitatum enim ducere si cuilibet licuisset, rerum omnium ordinem sanum, si solis nobilibus,[20]) libertatem fuisse perituram. Sed totius rei caput in Taciti verbis versari, recte quidem Waitzius. Quare quibus rebus factum est, ut plerique aliter sentirent, eas ut removeret operam dedit. Isti enim eos principes, quos Tacitus Germ. 12. commemoraret, ab iis, quorum c. 13. mentio fieret, differre voluerunt, propterea quod cap. 12. publice ac velut concionis iussu comites principi accederent, capite vero 13. sua

18) Qua in re probanda Waitzus non solum vitium illud a nobis in prooemio notatum committit, sed etiam Cheruscorum gentis exemplo utitur, quo ipso refutatur.

19) Id ex Germ. 12. recte explicato et ex c. 22. („de adsciscendis principibus“) elucere.

20) Waitzium quidem illud maxime offendit, quod ei nobiles, qui Savignio auctore comitatus ducerent, etiam opibus eminerent, itaque non nobilissimi, sed opulentissimi rem publicam gererent. Sed quum omni nobilitati multas opes fuisse, consentaneum ei videatur esse, cur in gerenda re publica opulenti maxime displiceant, non video; praesertim quum principatum quoque neminem adipisci potuisse Waitzius ipse censeat, nisi cui tantae fuissent opes, ut comitatum tueri atque alere posset.

sponte atque libere. Ad alterum autem principatus gradum (c. 13.), qui libero comitatu ornatus esset, ascendere potuisse aut nobiles solos [21]) aut cum nobilibus liberos [22]), eidem existimaverunt. Utrique autem nobilitati magnam tribuunt cum comitatibus necessitudinem. Quibus Waitzius ita occurrit, ut vocabulum „principes" omnibus illis Germ. capitibus 11 — 15. una eademque notione, quanquam de compluribus principum generibus, quae apta fuissent ad diversas reipublicae partes, usurpatum esse contendat. Nasci igitur comitatum ex libertate, sed pertinere ad solos principes. Taciti denique locos, qui sunt G. 13. („Insignis" etc.) et 14. („..nobilium adolescentium.."), quos Savignius sibi vindicat, Waitzius a se esse dicit. Neque enim „dignationem" c. 13. sensum, quem vocant, intransitivum habere, neque aetatem immaturam principatum gerere posse; capite autem 14. verba „nobilium adolescentium" non principum esse, sed comitum loco posita.

Veterem ergo nobilitatem Germanicam, nisi quod ex ea a quibusdam gentibus reges creati essent, nihil quidquam in gerenda re publica valuisse. Nobilitas autem quid sit, investigare, historici hominis et iustum doctrinae suae modum observantis nullo modo esse.

§ 9. Evasit igitur ex Waitzii disputatione nobilitas nostra nuda omnique spoliata ornatu; neque ab ullo ei iusti decoris quidquam restitutum est.[23]) Reliqui enim, qui de vetere nobilitate scripserunt, Sybelius et Maurerus aliique eius naturam aut eam ipsam esse dixerunt, quam Waitzius, aut penitus sustulerunt. Quorum sententiis qui assentiant, quanquam non credam esse multos, tamen quum totum eius disputationis decursum enarrare propositum sit, de eis breviter dicere non pigebit.

Sybelius ad eam quaestionem accessit in investiganda regni Germanici origine. Quam quum in regno Germanico Taciteo inesse ad hanc usque aetatem omnes putarent, Sybelius autem

---

21) Eichhorn. I, 67. Savign. l. c. p. 12.

22) Loebell. l. c. 503. Maurer. l. c. 6, 14, 16.

23) Cf. Wilda (in Richters Jahrbüchern, 1837. S. 335), Sachsse, Staatsleben § 19., Göhrum, Ebenbürtigkeit, I, § 4. Waitzium hac in re omnino secutus est Walter, deutsche Rechtsgeschichte, 1852, I, 8—9.

non item: de universa re publica Germanica eum prorsus aliter sentire necesse fuit, neque quaestionem nostram de nobilitate, quae (Germ. 7.) arcte cum regno connexa est, negligere potuit. Sed eius sententia quae sit, et unde orta, videamus.

Caesarem rerum omnium Germanicarum tam peritum esse affirma, ut eius verba omnino eiusdem fidei ac Tacitea esse putet, et ut utraque coniungat alternatimque ac promiscue ad effingendam rem publicam suam adhibeat. Qua in re id quidem maxime mirum mihi visum est, quod multo saepius Caesare utitur, Tacito vero, quantum id fieri potest, fere ad explenda ea, quae ille retulit. Orditur autem ab exponendis rei publicae Germanicae fundamentis secundum Caes. B. G. IV, 1. et VI, 22.; quibus locis Tac. G. 26. accommodare studet. Ex illis enim locis consequi affirmat, Germanis tum ignotum fuisse id, quod dicunt proprium separatum, nomadicam, quam vocant, vitae quandam rationem agentibus, neque tamen ita, ut immanes et a societate humana alieni essent, sed nullas ut sedes haberent firmas neque iustam agriculturam. Qua ex re sola agilitatem quoque illam et instabilitatem extitisse, quam explicari ex comitatibus plerique frustra contenderint. Nusquam enim comitatus tam late patuisse, ut totas gentes complecterentur. Oportere igitur singulas gentes Germanicas coniunctas alio quodam esse vinculo, quod nullum esse possit, nisi indicatum illud a Caesare l. VI.[24]), et a Tacito G. 7. [25]) in instruenda acie significatum. [26]) Sed Sybelio quum res publica ad familiae similitudinem formata (quam nos Geschlechtsstaat appellamus) placeret, ultra Caesaris ac Taciti aetatem progrediendum fuit. Rem publicam illam in legibus Germanicis post quatuor saecula et amplius demum conscriptis, adiunctis gentium recentiorum earumque peregrinarum exemplis[27]) reperit. Quae quum ita sint, ubique gentium aliarum eum potius

24) „Gentibus cognationibusque hominum, qui una coierint, quantum et quo loco visum est, agri attribuunt.“

25) „Nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates.“

26) Is solus Taciti locus est, quo cognationes praeter vitam privatam alicuius fuisse momenti apparet.

27) Slavorum (p. 17, 54.) immo Afghanensium (p. 45.)

versari, quam in exponenda re publica Germanica Tacitea, luce clarius est.

Eius autem rei publicae, quam Sybelius statuit, magistratus, quibus nomen maiorum natu vel seniorum est, aeque ac principes Tacitei, sed ex eis cognationibus familiisque, quae singulis pagis praesunt, eliguntur. Ex pagis autem gens constat; gentisque res publica a concione seniorumque coetu gubernatur.[28]) Communem, i. e. unum gentibus Germanicis magistratum nunquam fuisse, Sybelius probavit ex Caesare (VI, 23: In pace nullus est communis magistratus), quum Taciti verba: „Reges ex nobilitate... sumunt“ ad eam sententiam minus apta essent.[29]) Tacitum autem, ubicunque in Historiis et Annalibus de regibus, regno, regia stirpe loquitur, ad „principes“ tantum vel seniores illos spectare ait. Illum igitur (Tacitum), si principes reges diceret, falli principatus illius specie bellicosa, quam ea quidem aetate prae se tulisset (p. 99.). Quare res publica etiamsi interdum ad regni similitudinem quandam accessisse videretur, quum ex pagorum principibus aliquis eandem inter ceteros assequeretur auctoritatem quam in pagis suis singuli, nihil aliud tamen inde ortum esse dicit, quam auctam δημοκρατίαν (p. 140.). Itaque Sybelius in civitate quidem Tacitea verum iustumque regnum non agnovit. Primum huius regni vestigium offendit in ducis imperio, a Caesare VI, 23. exposito, quod diligenter distinxit ab eo, cuius mentio est apud Tacitum G. 7. Justum igitur regnum, ut Sybelio videtur, tum demum apud Germanos nasci potuit, quum „rem publicam novis condere fundamentis coepissent“ (p. 156.).

Quae quum Sybelii sit de Germanorum Taciteorum re publica regnoque sententia, facile perspicimus veram nobilium ingenuorumque diversitatem nobilitatemque a plebe separatam eum non agnoscere. Sed quaerat quispiam, nobilitas illa, quam statuat Sybelius, quaenam sit et quae eius natura. Quam quidem ut investigarem, me aliquantum temporis consumpsisse fateor. Talem autem nobilitatem, qualem Eichhornius, Savignius, Loebellius, Waitzius tenuerunt, apud Sybelium me usquam inventurum

---

28) Regnum illud, quod Tacitus G. 7. significaret, Sybelius fere insolitum apud Germanos tum fuisse putavit (p. 127—128.).

29) Cf. p. 81.

plane desperavi, quum in haec verba incidissem (p. 95.): „In keinem Falle halten wir dies höchst vereinzelte Bruchstück (Rudolfi Translatio S. Alexandri, de quatuor Saxonum ordinibus) für wichtig, um allein aus ihm die sonst unmögliche Annahme einer scharfen Standestrennung unter den Germanen zu rechtfertigen.... Grundsätzlich ist eine juristische Linie zwischen den Aeltesten, seinen Verwandten und den Gemeinfreien gar nicht zu ziehen: das ganze Staatswesen ruht auf der Fiction allgemeiner Verwandtschaft, durch welche der Niedrigste, der in dem Stammbaum der physischen Familie seine Stelle nicht zu finden weiss, dem Höchsten unmittelbar wieder angenähert wird. Der Unterschied liegt also ganz auf dem factischen Gebiete: wer faktisch zum Herrscher erhoben ist, wer factisch seine Blutsverwandtschaft mit ihm nachzuweisen vermag, der ist Aetheling des betreffenden Volkes: es ist aber schlechthin unmöglich, eine allgemeine gültige Regel aufzustellen, nach der die Gränzen dieses Standes in allen Fällen zu ermessen wären. Von einem andern bestimmteren Vorrechte des Adels, als dass er den nächsten Zugang zum Ealdordome (Principat) gehabt habe, kann hienach keine Rede sein."

Sybelii igitur nobilitati id potissimum proprium ac peculiare est, quod non ad principatum ducit, sed ex principatu nascitur atque pendet. Quare quanquam nobiles, ut qui essent cum principibus cognati, principatum adipisci poterant, neque tamen id eam ob causam, quod nobiles, sed quod principum cognati essent. Quod ut demonstraret, Germ. 13: „Insignis..." et 14: „plerique nobilium...." p. 84 et 86 ita interpretatus est, ut Savignii sententiam eum tueri crederes. Sed ex Taciti verbis „nobilis, nobilitas" id unum effecit, seniorum vel principum magistratum haereditate quadam tradi solitam fuisse. Et haec quidem de Sybelio.

Denique Maurerus, qui Waitzium potissimum secutus est, § 10. novi quidem ad quaestionem nihil prorsus attulit, praeterquam quod Waitzio occurrit, comitatus non solum ad solos magistratus non pertinuisse, sed pertinere omnino non potuisse. Huic enim rei Germanorum libertatem obesse. Neque omnino vocabulum „princeps" apud Tacitum ita esse definitum, ut unum tantum principum genus significaret. Eos igitur, qui magistratum gererent, eos, qui comitatum ducerent, cetera denique principum

genera omnia ab ingenuis libere eligi consuevisse. Nobilitati vero in re publica iura quidem nulla, sed permagnam fuisse apud plebem auctoritatem, nudam tamen atque inanem.

Atque de eis, quae de nobilitatis Taciteae natura disputata sunt, hactenus. —

CAPUT II.

§ 11. ### De nobilitatis apud veteres Germanos ordine in universum.

Enumeratis aliorum de hac re sententiis adumbratisque, ad proponendam nostram sententiam confirmandamque venimus. Nos autem auctorem Tacitum sequi unum, iam a nobis dictum est. Veruntamen eius scriptis ita utendum esse videtur, ut Germaniae parti priori plurimum tribuamus auctoritatis, qua quidem parte Tacitus ipse, quae omnibus Germanorum gentibus communia essent, se comprehendisse affirmat.[1]) Quidquid autem de rei publicae institutis est, id omne illa quidem in parte inest. Ea igitur omnia necesse est omnibus sint Germanorum gentibus communia. Quae tamen erant quibusdam gentibus propria et a communi specie aliena — et ea quidem neque multa sunt neque ab omnium natura recedunt — illa suis locis per partem alteram dispersa sunt. Ad „Germaniam" autem et declarandam et confirmandam ex Historiis et Annalibus tam factorum quam verborum exempla depromemus.[2])

§ 12. Primum igitur quum de verbo „nobilis" dicendum sit, quid illud in rebus Germanicis apud Tacitum significet, apertissime loco illo G. 25[3]) edocemur. Nobiles enim ibi non solum secernuntur, sed prorsus ita secernuntur ab ingenuis, ut ingenui a servis. Servos autem ab ingenuis certis finibus perpetuisque

---

1) Sub cap. 27. finem: „Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc . . . ."

2) Ea monemus, quae diximus sub finem prooemii.

3) „Libertini non multum supra servos sunt . . . . Ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt."

fuisse separatos, si demonstrandum esset, ex eorum id conditione clarissime eluceret, qui alea libertatem perdiderant (G. 24.)[4]: vel istos, qui modo in servitutem delapsi erant, mox „per commercia tradunt.“ Ea autem servitus tam insanabilis fuit, ut qui servum lucratus alea esset, de eo liberando ne cogitare quidem posset, sed tristis illius victoriae maculam, nisi tradito exteris servo et vendito, a se non removeret obliteraretque[5]). Eodem igitur discrimine nobiles ab ingenuis disiungit Tacitus: ordines utrique ita sunt definiti, ut aditus ad eos sit nullus. Par eorum ratio apparet ex G. 44.[6])

Quae res quum iam in aperto sit, nobilitatis ille ordo qualis sit quibusque tam arcte contineatur vinculis, quaeri necesse est. Ac ne quis id ita dictum putet, quasi ea, quae supra demonstrata a nobis sunt, non omni dubitatione nobis vacare videantur: fuere, qui magistratu suscepto, qui praeclaris rebus gestis, qui virtute et singulis et familiis aditum ad nobilitatem patefieri potuisse dicerent. Tantum autem abest, ut ii Tacito auctore utantur, ut ab eo ipso valde refutentur.

Est autem in Germ. c. 7. hic locus; „Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt.“ Cuius vim qualemcunque postea statuemus, nobilitatem sane non aliam, sed oppositam prorsus virtuti esse probat. Idem elucet ex Annalium XI, 17: „quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur.“

Neque vero ad familias totas nobilitatem transire potuisse, clarissimus ille locus Germ. 13 ostendit: „Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem... assignant;“ ubi si „magna p a t r u m merita“ idem valerent ac „nobilitas,“ certe Tacitus, quum pro duobus illis „insignis nobilitas“ et „nobilitas“ „n o b i l i t a t e m“ ponere potuisset, inutilium ambagium notam non effugeret. Tacitum vero aliarum rerum quarumlibet magis esse reum, quam ambagum dixeris.[7]) Diversam denique ab

4) „Servos conditionis huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsolvant.“

5) „ut s e quoque pudore victoriae exsolvant.“

6) Apud Suiones „neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas etc.“

7) Eam loci interpretationem etiam a Sybelio contendi miror, qui nobilitatem nihil esse aliud dicat, quam eam conditionem, ut quis in re publica sit „civis optimi iuris“ (p. 91.).

omni praestantia, rebus exterioribus vel virtutibus propriis parta, nobilitatem fuisse, Germ. 11. et Hist. IV, 55.[8]) docent.

Definiendum tertium quoddam est: quem inter ceteros ordines nobilitas locum obtinuerit. Quae res quo modo se habeat, illis eisdem ex locis facile perspicitur. In Germaniae enim c. 25. et 44. quin nobiles primum locum teneant, nemo est, qui dubitet. Quod magis apparet ex Annalium XI, 17. verbis: „quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur," quibus Italici assectatores contra eius adversarios affirmaverunt, esse in eo omnia, quae iustum strenuumque regem redderent: nobilitate enim, i. e. eo, quod nobilis esset,[9]) omnibus eum ita anteire, ut nemo adversarius quidquam desideraret; hanc autem praestantiam, quae vel sola regno dignum faceret,[10]) minime in eo solam esse, sed cum virtute praeclaris digna maioribus coniunctam. Itaque ut ea, quae ad hanc quaestionis nostrae partem pertinent, ex hoc loco eruamus, talibus uti verbis possumus: Italicus duabus de causis, ne adversariis quidem iuste obloquentibus, dignus est, qui regnet: primum, quod unus de stirpe regia reliquus est; alterum, — et id quidem solum sufficit, — quod eius nobilitas, sola eius origo nobilis[11]) omnes inferiores ei esse ostendit. Annalium igitur l. XI, c. 17. nobilitatem primum omnium in re publica ordinum, vel, ut Taciti verbis loquamur, „principi loco" dignum appellari perspicuum est.

Est quidem alia quoque ad eundem finem via. Hostis victor civitatis alicuius fidem si quam firmissime adstringere voluerit, illud sibi pignus deliget, quod civitati carissimum, quod cum omnium animis penitus coniunctum est, quod qui tenet, nervum

---

8) Germ. 11: „Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur." Hist. IV 55: „Classicus nobilitate opibusque ante alios."

9) Id quidem ad hunc locum, si forte opus sit, etiam ex G. 7. derivare licebit.

10) Verba enim „amissis per interna bella nobilibus" eam interpretationem non patiuntur, quasi pars tantum nobilitatis extincta esset. Ceciderant nobiles ad unum omnes et ex stirpe regia solus Italicus erat superstes.

11) Ipsis igitur adversariorum verbis „adeo neminem, eisdem in terris ortum, qui principem locum impleat, nisi exploratoris Flavii progenies supra cunctos attollatur!" — Italici assectatores illos refutant. Quum enim esset Flavii progenies, propter ipsam illam regiam originem nobilem eum esse opportebat.

totius civitatis vel rem publicam ipsam tenet. Illud quum communis rerum natura ferat, verba, quae sunt Germ. 8., quo spectent, dubium esse haud potest: „Memoriae proditur, quasdam acies, inclinatas iam et labantes, a feminis restitutas, constantia precum et obiectu pectorum et monstrata cominus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent: adeo, ut efficacius obligentur **animi civitatum,** quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur." Sententiarum cum proxime praecedentium, tum sequentium nexus is est, ut etiam verbis nostris tale quiddam inesse oporteat, unde Germanorum erga feminas verecundia appareat. Et profecto Tacitus priori sententiae parte eam verecundiam curamque tantam esse refert, ut quum in acie sibi imminere cladem captivitatemque animadvertant, mulierum magis, quam suam captivitatem pertimescant. Quod quidem scriptor non natura omnium gentium communi, sed singulari reverentia in mulieres fieri dicit. Idem altera sententiae parte magis etiam eo declarat, quod Germanorum iste animus etiam apud exteros notus sit. Et ex ea Taciti sententia comparativus quidem „efficacius" et „puellae quoque" intelligitur, — cetera vero non item. Verbis enim „efficacius" et „puellae quoque" sententia quaedam augetur. Quaerendum est, qualis verbis illis subiecta sententia sit, demto isto comparativo. Qua quidem in re omnia ad alteram quaestionem redeunt, adiectivum „nobiles", quod velut casu quodam verbis „puellae quoque" adiunctum est, num ad comparativum illum pertineat. Pertinere autem ad eum illud non posse, duabus potissimum ex rationibus perspicitur. Primum enim universus sententiarum nexus, qualem supra exposuimus, cum eiusmodi interpretatione pugnat. Deinde vero coniunctio illa comparativa „quoque" non cum „puellae", sed cum „nobiles" coniungenda fuisset. Verbum igitur „nobilis" a comparativo ipso alienum est pertinetque ad sententiam simplicem: „(efficaciter) obligantur **animi civitatum,** quibus **obsides nobiles** imperantur." Quae sententia scriptori per se tam manifesta vis est, ut simpliciter eam afferre praetermitteret.[12]) **Caput** ergo

---

12) Habes eius rei exemplum Ann. I, 57, ubi Segestes, a gente sua auctore Arminio pressus, quum Romanorum auxilio effugeret, „propinquorum manum"

civitatum Germanicarum **nervumque** esse **nobilitatem**, Tacitus edocet.

Hanc nostram interpretationem clarissimus confirmat Historiarum locus l. IV c. 28. In communi contra Romanos seditione movenda Civilis quum civitates Germanicas, „quae ultro misere legatos, auxilia offerentes (c. 17.), immensisque eum auctibus extollebant," firmissima societate sibi devincire vellet, ne auxilia illa a se descíscerent, vel etiam ad Romanos transfugerent, eam „societatem firmavit nobilissimis obsidum.[13]) Ex nobilissimis familiis, fortasse ex eis, quorum patres auxiliis praeerant, liberi, mulieres obsidum loco Civili traditi erant, quibus „civitatum illarum animi", civitates ipsae ei „efficacissime obligarentur." Quapropter etiam hoc loco nobilitatem in Germanorum re publica primum ordinem, rerum gerendarum caput nervumque fuisse manifestum est.[14])

Neque vero ignoro, hanc quidem sententiam Loebellii, Waitzii, Maureri opinionibus esse contrariam.

Jam eo perventum est, ut ex eis, quae iam effecta sunt, permulta eaque gravissima non coniicere, sed concludere atque cogere possimus. Sed satis est, firmum iam et certum quendam nos habere locum, in quo insistamus et unde tum de aliorum sententiis facilius iudicare, tum ad cognoscendam totius rei naturam securius progredi possimus. Etenim quae iam hinc concludi possunt, tanta sunt, ut valde miraremur, nisi eorum certiora

---

secum duxit, in qua „inerant feminae nobiles;" quae cur singulariter memorentur, vel earum nobilissimae nomen ostendit: Arminii uxorem („mariti magis, quam parentis — Segestis — animo") Segestes inter bella intestina, quum „marito catenas iniiceret," certe non voluntate, sed vi ad se traxit, neque aliam ob causam ad Romanos transfugiens „necessitate adduxit," quam ut esset obses.

13) Forte difficultatis aliquid inesse videatur in genitivo „obsidum," quum ablativum „obsidibus" expectaveris. Sensum tamen eundem esse ex eo intelligitur, quod „obsidum" neque genitivus, quem dicunt, partitivus esse potest — de Germanorum enim obsidibus praeter hunc locum nihil occurrit, — neque cum „societate" coniungendus est; tum enim verborum ordinem hunc esse oporteret: „obsidum societate vel societate obsidum nobilissimis firmata." „Nobilissimis obsidum" igitur idem valeat necesse est ac „nobilissimis obsidibus." Cf. Ann. III, 21, 39. XV, 20. XIV, 8. XII, 15. XIII, 34. XII, 17. XIV, 60. Hist. II, 8, 22.

14) Eius rei clarissimum esse Ann. I, 55. et 58. exemplum, suo loco elucebit.

etiam apud Tacitum uberioraque invenirentur argumenta. Neque haec quidem desiderantur. Quae priusquam in examen vocemus, de nobilitate Tacitea in universum habemus, quae addamus. Quaerendum est enim primum, nobilitas illa quam late per § 14.
Germaniam patuerit, deinde num certis quibusdam inter se gradibus fuerit distincta.

Nobilitatem illam omnibus fuisse Germanorum gentibus, primum ex priore „Germaniae" parte constat. Qua quidem in parte Tacitus, ubicunque de nobilitate loquitur, communem eam esse omnibus declarat. Neque enim apud eas gentes solum, quae „regnentur" (c. 25.), nobilitatem commemorat, [15]) sed apud omnes. In eis enim institutis, quae omnibus sunt communia, in concilio, [16]) in tradendis armis, [17]) in comitatibus, [18]) nobilitas aliquantum valet. Regnum non fuisse quibusdam gentibus, Tacitus animadvertit, nobilitatem non item. In altera autem Germaniae parte quanquam nobilitatis quidem ipsius nulla mentio fit, omnes tamen loci, ubi gentes regibus parere narrat, ad rem nostram faciunt. „Reges" enim „ex nobilitate." Parent autem regibus ex Suevorum gentibus Marcomanni, Quadi, [19]) Suiones, [20]) Rugii, Lemovii, Gotones, Lygii. [21])

His igitur omnibus erat nobilitas. Ceterarum autem gentium clarissimas quasque: Batavos, Cattos, Caninefates, Cheruscos, Treveros nobilitatem habuisse, ex aliis Taciti locis constat. [22]) Denique Tacitus, ni fallimur, Hist. l. IV c. 28 de gentium Germanicarum nobilitate ita dicit, ut earum nullam exceptam esse appareat.

Ac nobilitatem Germanorum gentibus fuisse omnibus, eam- § 15.
que inter ceteros ordines primas obtinuisse partes ita, ut in re publica, in fide publica, in foederibus faciendis, in rebus denique omnibus plurimum valuerit, demonstrasse nobis videmur. Quae quum ita sint, mirum esset, nisi institutum tanto vigore

---

15) c. 7. 16) c. 11. 17) c. 13. 18) c. 14. 19) c. 42. 20) c. 44. 21) c. 43. De Gotonibus v. Ann. II, 62.

22) De Caninefatibus v. Hist. IV, 15., de Cheruscis Ann. I, 57., de Treveris Hist. II, 14., de Batavis Ann. IV, 12; Cattis nobilitatem fuisse ex eo clarum est, quod Batavis antiquitus nobilitas erat (Ann. IV, 12.); Batavi enim quondam Cattorum pars erant (Germ. 29.), ob eamque causam „vetus illud institutum" a solis Cattis accipere potuerant.

praeditum ordine quodam graduumque discrimine temperatum esset atque distinctum. Et profecto inveniuntur apud Tacitum nobilitatis gradus. InGermaniae enim c. 11. de concilio agit deque iis, qui deliberationis sunt participes; quorum quidem ordo est certis ex rationibus definitus: „prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est." Natu minimus igitur, nobilissimus, fortissimus, eloquentissimus quisque primus audiebatur. Nobilitatis hoc loco diversos significari gradus, perspicuum est; neque ii obscuri erant vel paucis tantum noti, sed ab universa gente cognoscebantur adhibebanturque ad publice dicendi ordinem constituendum. Aperta igitur et admodum conspicua fuisse graduum illorum signa necesse est, ita ut, qui eis esset insignitus, idcirco prius audiretur. — Alio Germaniae loco, c. 13., „insignis nobilitas" memoratur eiusque in re publica praestantia quaedam. Aliis quoque in Taciti scriptis gradus illi commemorantur. Hist. l. IV, 12. de „nobilissimis popularium" apud Batavos, 15. de Brinnonis Caninefatis claritate natalium insigni, 28. de gentium Germanicarum „nobilissimis obsidum" [23]) sermo est.

§ 16. Jam de nobilitatis gradibus duo sunt, quae quaeramus; unum, quinam sint gradus illi; alterum, quid sit id, quo inter se distinguantur. Quae quaestiones quum arctissime inter se coniunctae sint, et eisdem fere ex locis Taciteis solvantur, simul videntur esse tractandae. Primum igitur ex Germaniae, c. 11., nobilitatem, ut a virtute aliisque praestantiae generibus diversam esse, ita eius gradus ex nulla tali praestantia existere cognoscimus. Quanam ex re nobilitatis diversitas oriatur, fortasse ex eo nomine, quo summus gradus insignitur, perspicuum erit. Germaniae autem c. 42. apud Marcomannos genus quoddam nobile memoratur, ex quo reges creentur. Quod inter nobilitatis genera summum fuisse, nihil est, cur dubitemus. Pari modo nobile apud Cheruscos Flavi Arminiique genus (Ann. XI, 17.) „stirps regia" appellatur (c. 16.). Classicus Trevir nobilis est et regio quidem ex genere (Hist. IV, 55.). Jam Civilis quoque Batavi „stirpem regiam" Hist. IV, 13.) primam

---

23) Fortasse genitivus „obsidum" ex eo intelligitur, quod Tacito haec scribenti ea sententia obversabatur: „Ex iis, qui apud Germanos obsides dari consueverant, nobilissimi." Consueverant autem, ut supra dictum est, nobiles.

nobilitatis Batavae familiam fuisse, et ceterarum gentium omnium, quibus regnum fuisse supra ostendimus, familias regias fuisse nobilitatis, ut ita dicam, fastigium patet.[24]) Summus igitur nobilitatis gradus apud eas quidem gentes, quae regnabantur, familia regia et appellabatur et erat. Eis autem gentibus, quae Taciti aetate sine regibus erant, regnum quondam fuisse, tum aut notum erat aut ignotum. Nam aliquando Germanis omnibus fuisse regnum, suo loco demonstrabimus. Sed quum disputatio nostra iam eo pervenerit, ut rerum omnium summam penes nobiles fuisse suspicandum et concludendum sit, via nobis esse munita videtur ad caput tertium.

---

24) Nunquam ferri in historia potest licentia illa, quam sibi Waitzius sumpsit adversus Tacitum, p. 72: „Bei einigen (Völkerschaften), denen Königsherrschaft fremd ist (!), gibt es Familien, die „als" königlich benannt werden; auch ohne König königliches Geschlecht (!). Dem Julius Paulus und Claudius Civilis legt Tacitus königliche Abkunft bei (!), obschon die Bataver und andere westliche Stämme, denen sie angehören, früher keine Könige kannten (??). Auch der Trevirer Classicus soll (auctore Tacito!) aus königlichem Geschlechte stammen, da doch seine Vorfahren nur (!) als Fürsten des Volkes erscheinen. Als Arminius in den Verdacht kam, nach dem Königthum zu streben, erhob sich gegen ihn das Volk, das ihm so Vieles verdankte und er büsste den Versuch mit dem Leben; nichtsdestoweniger (!) wird (scilicet a Tacito) seinem Neffen königliche Abkunft zugeschrieben, ja diese und diese allein (!) verschaffte ihm die Herrschaft über sein Volk ..... Auch bei den Stämmen, die keine Könige hatten, konnte es ein Geschlecht geben, das gewissermassen den Anspruch hatte, es zu sein ...,.. und königlich heissen (!!)." Cuius opinionis rationem Waitzius ne minimam quidem affert, sed haec dicit quam maxime ipsi contraria: „Es reicht nicht aus, dass man sagt, das Königthum, von dem hier die Rede, führe mit Unrecht den Namen; ebenso wenig, dass man, wo von königlichem Geschlecht gesprochen wird, den Ausdruck für ungenau erklärt. Tacitus hat sicher nicht ohne Grund die Worte gewählt, und wusste, was er damit bezeichnen wollte."

CAPUT III.

De nobilitatis cum regno principatuque necessitudine.

A.

Priusquam nobilitatis cum regno necessitudinem indagemus, de hoc ipso constare necesse est. Neque enim satis convenit, fueritne apud Germanos Taciteos regnum quoddam, annon fuerit, neque inter eos, qui fuisse aliquod statuunt, utrum verum iustumque, utrum antiquum, utrum antiquitus gentibus Germanicis omnibus commune fuerit necne. Denique a quaestione nostra non alienum erit, ut, regnum quoddam si fuit, quale fuerit videamus.

§ 17. Esse autem apud Germanos regnum quoddam, qui vel leviter Tacitum inspexit, non ignorat. Dubium de hac re nullum relinquunt loci ii, quos pag. 21. adhibuimus. Tria autem quaerenda sunt, regnum num per omnes gentes Germanicas patuerit, num antiquum sit, quanta fuerit in re publica auctoritate et potestate in universum. His de rebus iam certi quid statuere conabimur.

Regnum per multas Germanorum gentes patuisse, primum elucet ex earum numero, quarum reges a Tacito memorantur. Sunt autem Marcomanni, Hermunduri,[1]) Quadi,[2]) Suiones,[3]) Rugii, Lemovii, Gotones, Lygii, (Arii, Helvecones, Manimi, Elysii, Naharvali,) Frisii,[4]) Sitones[5]).

Ceterum Tacitus gentium Germanicarum alias regnari, alias non regnari dicit (G. 25.). Quae diversitas quo modo orta sit, facile cognoscitur. Eae enim gentes, quarum saepissime apud eum mentio est, meridiem versus habitabant armisque Roma-

---

1) Ann. XII, 29. 2) G. 42. 3) G. 44. 4) G 43. 5) Ann. XIII, 54, ad quem quidem locum Waitzius haec: „dagegen trage ich Bedenken, die Friesen Verritus und Malorix geradezu für Könige im wahren Sinne des Wortes zu halten.“ Sed viro cl. adsentire, quum causae desint, non possumus. Verba enim in quantum Germania regnantur,“ eis, quae sunt G. 7. de regum potestate, satis illustrantur. — 6) G. 45. Eo tempore, quo Tacitus Germaniam scribebat, regina rerum summam tenebat.

norum gravissime lacessebantur. Itaque quum fere semper in bello essent, non mirandum est, quod duces tantum principesque eis aut praefuerunt aut praeesse visi sunt. Cattorum, Batavorum principes, Caninefatum dux a Tacito appellantur. Sed eis gentibus regnum aliquando fuisse, Tacitus nunquam negat. Ubi reges non commemorat, ibi ipso illo tempore reges non erant. Amplius quidquam ex silentio illo effici nequit.

Accedit — et id quidem gravissimum, — quod Tacitus earum gentium, quae tum regibus carebant, quibusdam iisdemque nobilissimis[7]) familiam regiam fuisse testatur. Quapropter si quae gens eo tempore sine regibus erat, minime ex eo concludi potest, ne unquam quidem reges ei fuisse. Sed dicat quispiam, familias illas tum quidem a solo Tacito, non tamen a gentibus ipsis nomine regio esse appellatas. At vero quid Tacitus verbis „regium genus, regia stirps" voluerit, Cheruscorum gentis exemplo edocemur.[8]) Erant inter Cheruscos duae familiae nobilitate aliis praestantes, altera Arminii, Segestis altera. Segestis familia, quam alterius adversariam fuisse, notum est, tum genti praeerat; at Segestes non rex erat, sed princeps[9]). Arminii familiae nomen erat regium, quanquam tum regnum non obtinebat. Hanc autem fuisse non nomine tantum vel fama vel Taciti solius iudicio, sed ex constanti gentis ipsius conscientia regiam, ex eo consequitur, quod deinde Italicus ex eadem oriundus propter solam illam originem regnum adeptus est. Ex iis, quae iam dicta sunt, id tantum, quod est sane certissimum, colligimus, Taciti aetate vel paulo ante Germaniae gentibus longe plurimis fuisse regnum. Sed res maiori cum diligentia investiganda est.

Rerum publicarum Germanicarum formis interius discrimen esse quodpiam Tacitus nunquam dicit.[10]) Duo tantum loci in Germaniae parte priori sunt, quibus tale quid subesse forsan videatur. Prior est G. 25., ubi esse gentes, quae regnentur, esse, quae non regnentur, annotat; quo quum de illo tantum tempore sermo sit, nihil impedimur. Alter Germ. 10. et 11. est, ubi Tacitus eum, qui gentibus praesit, „regem vel principem" esse

---

7) Batavis (Hist. IV, 13.), Treveris (Hist. IV, 55.).

8) V. totam Segestis Arminiique historiam. Ann. I et II.

9) Ann. I, 55.

10) V. Waitzium p. 70. et 71.

dicit. Sed eas quoque gentes, quae regnari consuevissent, principibus interdum paruisse, ex Cheruscorum rebus didicimus. De interiorum igitur rerum publicarum discrimine Tacitus, quod in Germania certe debuisset, nihil refert. Itaque quum formarum Germanicarum omnium una sit natura, plurimas autem easque nobilissimas gentes regibus usas esse compertum sit: gentibus Germanicis omnibus regnum quondam fuisse iure statuimus.

§ 19. Sequitur, ut de huius regni Germanici antiquitate quaeramus. Quam ad rem iam ea, quae modo effecta sunt, pertinent. Quaecumque enim omnibus Germanis communia erant, ea et in Germanorum communi indole ac natura ipsa sita esse et eam ob causam antiquitus extitisse necesse est. Ita autem prorsus Tacitus in Germaniae parte priori de regno loquitur. Accedunt aliae causae. Germaniam si ab ea parte, quae omnibus fere Romanorum incursionibus patebat, quaque primum belli strepitu diuturno instituta domestica labefactata esse consentaneum est, i. e. a meridie consideramus: apud eas, quae a Rheno longissime absunt,[11] regnum stabile invenimus; apud eas vero, quae ad Rhenum propiores peregrinorumque incursionibus magis obnoxiae sunt,[12] regnum labefactatum pauloque ante abrogatum videmus. Quibus igitur magis ex natura sua vivere licuit, apud eas regnum est; neque apud reliquas nisi turbatis rebus domesticis esse desiit.

Quae ita in universum probata sunt, duobus exemplis confirmantur. De Marcomannorum Quadorumque regno Tacitus ita loquitur, ut antiquum illud fuisse aperte indicet.[13] Verbis enim „usque ad nostram memoriam" velut ex longissimo temporis spatio se repetere significat. Stirpes quoque regiae, quibus ne acerrimis quidem discordiis[14] iura erepta sunt[15] (ut apud Cheruscos), certe regni amorem gentium animis innatum fuisse docent.

---

11) Cf. eas nationes, quibus Tacitus G. 12, 43, 44. regnum tribuit. Quam rem etiam a Loebellio investigatam video, l. c. p. 520.

12) V, c. apud Batavos, Cheruscos.

13) G. 42.

14) Earum discordiarum mentio Ann. II, 88. est ubi Arminium „regnum affectantem vi popularium" occidisse refertur.

15) Ann. XI, 16, 17.

Regnum igitur gentium Germanicarum antiquitus omnium, § 20.
Taciti aetate longe plurium rei publicae formam fuisse iam effectum est. Quod ut ad nostram quaestionem valeat, videndum erit, potestas regia quae fuerit et quanta. Quae quidem res absolvi non potest nisi cognita etiam nobilitatis in re publica auctoritate; regnum enim et nobilitas separatim considerari ac perspici nullo modo possunt. Itaque quum nobilitatis in re publica auctoritas ignoraretur, etiam de regni potestate magna virorum eruditorum extitit dissensio; verum ipsa controversiae acies non in regni, sed in nobilitatis auctoritate publica statuenda versata adhuc est; nobilitatis enim regnique causam eandem esse qui rectis rationibus fretus contenderit, nemo dum extitit. Neque vero nobis propositum est, ut quaestionem de regni Tacitei potestate hoc loco penitus absolvamus; sed in universum deque rei summa disputabimus.

Qua in re quo tutius progrediamur, de Taciti locutione quadam ante aliquid annotandum est. Tacitus ipse, id quod est notissimum, in diiudicandis rei publicae formis omne singularis dominationis genus prorsus reiiciebat. Quidquid imperii vel regni simile erat, id libertati officere arbitrabatur: Germ. 25[16]) regnum („gentes, quae regnantur") „libertati" (i. e. gentibus, quae non regnantur) opponit; similiter Germ. 45,[17]) ubi Sitones cum Suionibus comparat; utrosque regibus parere narrat; illorum autem rei publicae formam eo esse deteriorem, quam horum, quod posteriores a „libertate" tantum (i. e. a libera re publica), priores autem etiam a iusti regni forma, „a servitute", degenerassent. Quibus ex verbis Waitzius et alii concluserunt, regnum apud Germanos tale fuisse, ut multis gentibus fuisse non posset. Sed ea verba quum ex Taciti animo ad pristinam Romanorum libertatem proclivi profecta sint, non nimis videntur esse urgenda. Etiam in alieno populo describendo rapuit eum severitas illa ex depravatae patriae dolore nata.

---

16) „Libertini non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate; exceptis duntaxat iis gentibus, quae regnantur. Ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt: apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt."

17) „(Sitonum gentes) cetera (Suionibus) similes, uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant."

Regnabantur enim, ipso Tacito teste, Germani tam miti imperio, ut vix regnum illud fuisse affirmaret,[18]) et eas gentes, quarum regnum „paullo adductius" i. e. severius esset, ab aliis distingueret,[19]) quarum regnum libertati nihil obfuerit. Denique eo loco, quo praecipue de regno Germanico in universum dicit, G. 7.,[20]) regnum satis arctis finibus circumscriptum esse ait. Quare mirum non est, quod Tacitus G. 43.[21]) regnum libertatis non plane impatiens fuisse dicit. Ex quibus omnibus id quidem elucet, regnum Germanorum Taciteum quanquam revera regnum fuerit, tamen, si auctoritatem spectamus, ad Romanorum libertatem, quam ad dominationem propius accessisse. Fuisse autem illud etiam veteribus temporibus tam mite, non dixerim. Apud Suiones certe tempore Taciteo libertatis illius non nimis simile erat. Apud Cheruscos vix aliter comparatum fuisse videtur; quod vel ex ea vehementia apparet, qua Arminio regnum affectanti,[22]) quanquam magna iam in re publica erat auctoritate, propinqui resistebant.[23])

Et haec quidem de regum Germanicorum auctoritate in universum. Quae quanquam minime „infinita" erat neque „supra libertatem," tamen eam qui propterea iustam veramque potestatem regiam fuisse negaret[24]), Tacitum haberet adversarium. Omnibus enim in rei publicae partibus administrandis rex Germanicus Tacito auctore is fuit, penes quem rerum summa fuit. Rex domi militiaeque primus erat magistratus.

Sed de hac re pluribus dicendum est. Ex Germ. 10. videmus, res gravioris momenti omnes, priusquam in concilio deliberaren-

---

18) Ann. XIII, 54: in quantum Germani regnantur.

19) Germ. 43: „Trans Lygios Gotones regnantur, paullo iam adductius, quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem."

20) „Nec regibus libera aut infinita potestas."

21) Germ. 43, v. sup.

22) Ann. II, 88.

23) Quaecunque iam de regno effectae sunt, ex consideratis iis gentibus, quorum regnum non obnoxium erat Romanorum auctoritati, nobis apparuere. Ne quis tamen ea regna, quae Romanorum auctoritate stabilita erant, quae sunt perpauca, contra nostram sententiam pugnare opinetur, etiam eos reges, qui veterrimo instituto regnabant, imperatores Romani, ad efficienda consilia sua sibi devincire studebant: Ann. XI, 16: „Igitur Caesar . . . . ."

24) Quod facit Sybelius.

tur[25]) duplici modo, placerent diis necne, cognosci esse solitas: sortilegio et-vel auspicio vel equorum sacrorum praesagiis. Sortilegium, si de re publica consulendum fuit, sacerdos civitatis solus administrabat; alterum vero oraculum cum sacerdote rex obibat; auspiciis quidem num rex interfuerit, Tacitus nihil monet; illud quum Germanis Romanisque commune fuisse dicat, nihil est, cur aliam eius rei apud Germanos quam apud Romanos rationem fuisse, suspicemur; Romanorum autem auspicia publica consules cum sacerdotibus obiisse notissimum est. Equorum vero praesagia, quae sunt Germanorum propria, cum sacerdote regem et obiisse et observasse Tacitus dicit. „Nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes.“ Regis igitur auctoritas etiam in rebus sacris summa erat secundum sacerdotes.

Rem publicam autem ipsam quod attinet, regia potestas tanta erat, ut rerum omnium, sive minoris, sive maioris momenti, aut solum[26]) apud regem esset aut gravissimum[27]) arbitrium. —

Quis in iudicio summam tenuerit auctoritatem, ex eo cognoscimus, quod ea „pars multae,“[28]) quae civitati debetur, regi, si quis adest, exsolvitur.

De muneribus principibus conferendis quae referuntur Germ. 15.,[29]) ea ad reges quoque referre certe licet.

Et haec de regum auctoritate domestica. Quae quum ita se habeant, mirum esset, nisi eis etiam rerum militarium summa fuisset. Qua quidem de re qui locus est fere solus G. 7: „Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt“ diversissime explicatus a viris eruditis est. Eichhornius[30]) verba „duces ex virtute“ ita accipit, ut in iis civitatibus, quibus reges non fuerint, ad

---

25) Si (surculi) prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio — etc.

26) G. 11: De minoribus rebus principes consultant.

27) G. l. c.: „Mox rex vel princeps .... audiuntur.“ De loco isto accuratius explicando erit, quod disputemus.

28) G. 15: Mos est civitatibus, ultro ac viritim conferre principibus.

29) p. 70. cf. p. 86.

30) p. 70: Wo keine königliche Gewalt bestand, bestimmten in einzelnen Fällen, wo ein Heerführer nöthig war, die persönlichen Eigenschaften dessen Wahl.

gerendum bellum duces electos esse putes. Ubi igitur rex erat, ei imperium traditum fuisse significat. Savignius ea ad illas civitates refert, quae regnentur, in eisque imperium non ad reges collatum esse existimat,[32]) sed ad alium quendam vel nobilem vel ingenuum. Loebellius ea omnino praetermittit, sed p. 115 ducis[33]) munus ita memorat, ut minus appareat, locum ad civitates regnatas referat, necne. Waitzius ea de civitatibus non regnatis interpretatur, ducesque peracto bello dignitatem amittere contendit.[34]) Sed ceterorum sententiis omissis, ut nostram proferamus, verborum, „reges ex nobilitate" et „duces ex virtute" oppositionem non ad unam eandemque gentem, sed ad regnatas et non regnatas referimus. Primum enim his ducibus iustam apud Germanos perennemque dignitatem non fuisse constat. Quae in eodem c. 7. sequuntur, quaeque sunt de solis ducibus, non pertinent nisi ad belli tempora. Praeterea ducum in toto de Germania libello nulla usquam alias mentio est. Quare perennem eum magistratum Tacitus significare non potuit. Atque ita se res habere mihi videtur: Tacitus a capite 7. rem publicam descripturus, recte ab iis incipit, qui utique rerum summam tenent. Quum autem non omnes Germanorum gentes regnari probe perspectum haberet: neque gentium non regnatarum magistratum, qui aliquo saltem tempore primus est, praetereundum sibi existimavit. Deinde vero, quo „duces" ad gentes non regnatas pertinere confirmatur, illud est, quod tempore Taciteo ubicunque „dux" memoratur, regnum non est;[35]) ubicumque regnum est, praeter regem dux alius memoratur nullus.[36]) Recte igitur ex G. c. 7. reges etiam militaribus rebus praefuisse concludimus. Itaque quum rerum publicarum omnium eis fuerit principatus, nihil est, cur iustum illud verumque regnum fuisse negemus.

Postremo accedit verecundia illa ac religio, qua Germani regnum semper amplectebantur. Quae quidem tanta erat, ut

---

32) Sav. p. 8: Als bestimmter Vorzug des Adels wird wörtlich nur dieses erwähnt, dass in den von Königen beherrschten Staaten die Könige, aber nicht die Heerführer aus dem Adel genommen werden.

33) Satis obscure loquitur de praefectis militum „Heerführerstellen."

34) Waitzius, p. 102.

35) Arminius dux erat, dum regnum nullum apud Cheruscos erat.

36) Omnes reges, quos supra appellavimus, ipsi duces erant.

ne turbulentissima quidem ac diuturna temporum spatia eam tollerent, ut, si quid genti vigoris atque indolis pristinae inerat, ex multorum annorum licentia ac perturbatione nonnunquam repente expergefierent, neque regnum tantum, sed stirpem ipsam regiam restituerent. Sane qui, id, quod facit Sybelius, regnum Taciteum nullum fuisse contendit, is maximis certe erroribus implicitus est.

Illud igitur iam a nobis effectum sit, gentibus Germanicis omnibus aut Taciti aut proxime praecedenti aetate regnum fuisse antiquissimum atque ab ipsis gentium primordiis oriundum, veneratione maxima cultum, rerum publicarum omnium § 21.
principatu praeditum. Jam cum isto principatu quae sit nobilitati Germanicae necessitudo videamus. Quam quaestionem summi momenti esse, nemo ignorat. Quanta enim nobilitati cum regno est necessitudo, tanta ei prorsus non solum apud populum reverentia, sed in re publica auctoritas atque potestas.

Ad illam autem necessitudinem investigandam ea, quae una de regno restat quaestione commovemur; inquirendum enim nobis est, quonam modo regnum illud Germanicum continuatum sit propagatumque.

B.

Nobilitatis gradus considerantes ad investigandum regnum pervenimus; regni successionem indagantes ad nobilitatem revertimur.

„Germaniae“ locus de regni successione gravissimus cap. 7. § 22.
est: „Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt.“ Quem, praesertim quum sit tanta de re unicus, Tacitum, qua erat fide ac diligentia, maxima cura et diligentia scripsisse tenendum est.

Primum igitur quaequae interpretationes a iusta veraque ac Tacitea vocabulorum „reges“ et „nobilitas“ notione recedunt, eae omnes nullae sunt. Sed aggrediamur ad rem.

Duplex est in hac sententia oppositio: reges - duces et ex nobilitate - ex virtute; quarum altera (reges-duces) quum paullo ante exposita a nobis sit, altera: „ex nobilitate - ex virtute“ accuratius consideranda est. In his verbis explicandis omnis quaestio vertitur.

Minime assentiri iis licet, qui particulam „ex“ nulla huius oppositionis habita ratione, in utraque sententiae parte non una, sed duplici notione acceperunt. Eos si sequeremur, „ex nobilitate“ idem esset ac „ex hominum nobilium numero“; „ex virtute“ vero idem valeret ac „pro virtute,“ ita ut particula „ex“ in hac una sententia modo numerum, modo qualitatem significaret. Aliis autem quum oppositio nimis manifesta videretur, „ex virtute“ idem esse ac „ex hominibus fortibus“ voluerunt.

Ac sane quidem oppositionis natura membrorum et rationis eorum grammaticae aequabilitatem poscit. Sed veram rectamque neque isti praestiterunt. Habenda enim ratio est linguae latinae, cuius usus non solum apud Tacitum, sed apud omnes scriptores vehementer pugnat cum ista verborum „ex virtute“ explicatione; „ex virtute“ idem ac „ex hominibus fortibus“ esse nunquam potest. Particula „ex“ eodem modo explicetur oportet, quo ponitur saepissime apud scriptores Romanos, ad significandam eam rem, qua quis in deliberando, in concilio capiundo, in diiudicando tamquam lege ac norma utitur.[37] Notio, qua in verbis „ex virtute“ usurpata esse potest, haec una est: in sumendo duce quod primum potissimumque spectabant, virtus erat; quo quis erat fortior, tanto ducis munere dignior habebatur, vel: ex fortibus fortissimum, fortissimum quemque ducem sumebant. Itaque „ex virtute“ idem est ac „pro virtutis modo atque gradu.“

Jam vero „ex nobilitate“ quid significet, dubium esse non potest. Quum enim oppositio, quae toti sententiae inest, accuratam rationis grammaticae aequalitatem postulet, tam notione voculae „ex“ in parte altera, quam vi verbi „sumunt“, quae satis definita est verbis „ex virtute“, eo adigimur, ut etiam in verbis „ex nobilitate“ praepositionem „ex“ sensu, ut ita dicam,

---

37) Cic. Part. or. 34: Non esse fidem ex fortuna ponderandam. — Planc. ad Cic. Famil. 10, 4: Fidelitas, quam ego ex mea conscientia metior. — Ter. Eun. 1. 2. 118: Ex aliorum ingeniis iudicare aliquem. — Cic. Fam. 1. 7: Facti tui iudicium non tam ex consilio tuo, quam ex eventu homines esse facturos. — Cic. Quint. 1. 1: Si apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate causa pendetur. — Cf. Cic. fam. 6. 8. Liv. 42, 24. Plin. ep. 1. 2. Tacit. Hist. 2, 77., innumerabilia illa: ex foedere, ex lege, ex mandatis, ex necessitate, ex officio. Boetticher Lexic. p. 167.

deliberativo vel comparativo positam esse fateamur. Quare „ex nobilitate“ idem significat, quod: ex nobilibus nobilissimum, nobilissimum quemque, nobilissima stirpe natum, vel: pro nobilitatis modo atque gradu. Quae quum ita sint, haud difficile est intellectu, cur Tacitus verbum „sumunt“ verbis magis et usitatis et perspicuis „eligere, deligere, creare“ praetulerit.[38] Si Germani regem ex nobilissima familia deligere consueverunt, fieri non potuit, quin electio illa quidem haereditatis speciem quandam nancisceretur. Cautissime igitur Tacitus hoc verbum sibi delegit; namque si stirps regia per longum tempus florebat, electio illa eo nomine vix digna erat; tum enim vixdum eligebant reges, sed ordine iam quodammodo definito eos accipiebant, nanciscebantur, „sumebant.“ Quapropter tantum abest, ut verbo „sumunt“ electionis licentia quaedam significetur,[39] ut contrarium ex eo eluceat.[40] Ac si quis inde vel eo procederet, ut altera etiam parte „duces ex virtute sumunt“, verbum „sumunt“ eadem vi acciperet, nihil ei resisteremus. Apud Tacitum nullus usquam Germanorum dux nisi nobilis invenitur. Quare id quidem manifestum est, elegisse Germanos nisi rex adesset, non ex omnibus,sed ex nobilibus fortissimum quemque ad gerendum imperium. Quod quidem ex nobilitatis prima apud omnes Germanos auctoritate, quam in re publica summam et solam fuisse supra a nobis demonstratum est, iam per se perspicuum. Eos autem duces omnes Tacitus, si accuratius inspicimus, non solum ex nobilitate, sed ex summa nobilitate, ex regia plerumque stirpe sumptos fuisse dicit.[41] Verba igitur „duces ex virtute sumunt“ ita intelligenda sunt, ut etiam duces „ex“ nobilitate, ex summa i. e. regia nobilitate electi sint, nisi rebus adversis periculosisque prorsus impares existimarentur.

Vere igitur nobilitatis et regni necessitudo tanta est, ut § 23. revera regnum Germanicum nihil aliud sit, quam nobilitatis fastigium atque summa, **et nobilitas nihil aliud, quam regnum ipsum, gradibus distinctum.**

38) Savign. p. 8. — 39) Sav., Maur.

40) Ovid. Her. 18,127. Taciti verba ad poetarum dicendi usum accessisse notum est.

41) Cf. infra 117.

Regni et nobilitatis prorsus eadem est natura, eadem auctoritas, gradu quidem, non qualitate diversa. Regni autem naturam et auctoritatem verum rei publicae principatum fuisse a nobis probatum supra est. Ex quo etiam illud sequitur, nobilitatem verum fuisse in re publica principatum. Qui igitur nobilitatis in administranda re publica auctoritatem dignitatemque ita constituunt, ut praeter regum eligendorum ius ne tantulum quidem ei concedant, hi Taciti sententiam minime assecuti sunt. Nobilitatis natura in rei publicae principatu cernitur. — Jam disputationis finem facere liceret, si de nobilitatis natura in universum quaereretur. Sed est apud Tacitum aliis Germaniae locis non paucis principatus quidam, qui duabus de causis accuratius nobis considerandus est. Primum enim viri rerum Germanicarum studiosi iique clarissimi hunc principatum ita a nobilitate separaverunt, ut nisi probari potuerit, principatum eum nihil aliud esse, quam nobilitatis ipsius auctoritatem, duplex nobis inde rei publicae principatus existat et ingens rerum omnium perturbatio. Deinde vero quandoquidem Tacitus de re publica administranda uberius disseruit, in sententia nostra confirmabimur, si, quod in universum ex Tacito didicimus, cum singulis comparatum recte se habet.

C.

§ 24. Principatum illum a Germaniae cap. 10. usque ad 15. passim memoratum ab eo principatu, quem nobilitas tenebat, non diversum, sed cum eo esse eundem, id quidem iam ex ipsius rei natura consentaneum est. Duplex enim idemque seiunctus unius rei publicae principatus nonne tam a celebrata illa rei publicae Germanicae simplicitate aequabilitate, quam a se ipse abhorret? Saepe mihi mirum visum est, quonam modo a tot tantisque viris talis principatus iuxta nobilitatem statui potuerit. Cuius erroris quaecumque prima causa fuit, aliquam tamen ansam praebuere loci aliquot, quos viri illi in eam sententiam solam posse accipi multa opera acieque contenderunt. Sed eos locos omnes quum accuratius examinaremus, ita nostram sententiam comprobare intelleximus, ut aliorum sententiae, si unum Savignium exceperis, verae esse non possent. Ad principatum igitur illum, nobilitati a Loebellio, Waitzio, aliis abiu-

dicatum, loci omnes pertinent, quibus „principum“ mentio est, capp. 10—15.

Capite 10. leguntur verba haec: „rex vel princeps civitatis“, in quibus et illud „princeps civitatis“ et „principis“ cum rege aequatio ostendit, significatum esse eum, qui, ut apud Cheruscos Arminius et Segestes, regis loco rerum summam tenebat.

Capitibus 11. et 12. Tacitus de eis principibus loquitur, qui, quum in unaquaque civitate plures sint, in deliberandis administrandisque rebus publicis, in concilio, in iurisdictione primi sunt. Non eundem eos principatum tenere, quem „princeps“ capite 10. memoratus, vel ex eo perspicuum est, quod nullis in civitatibus, ne in regnatis quidem desunt. De horum igitur tantummodo principatu controversia esse potest. Memorantur praeterea „principes“ primum cap. 13., ubi de iuvenibus scuto frameaque ornandis, deinde c. 14., ubi de comitum societatibus dicitur. De principibus in universum c. 15. sermo est.

Quibus de locis priusquam accuratius possit disputari, constet oportet, utrum „principes“ nihil omnino habeant inter se commune, an societate quadam coniuncti sint, an omnes eidem. Qua re re multum disceptatum est. Omnis autem quaestio in eo est, utrum principes capp. 13. et 14. eidem sint ac principes capp. 11. et 12., an diversi.

Capitibus quidem 13. et 14. de eisdem, non de diversis esse sermonem, nemo est, qui neget. Verba enim „principis dignationem“ ita illa „principum aliquis“ sequuntur, ut de diversis principibus cogitare propter necessitatem grammaticam non liceat. Item in capp. 11. et 12. „principes, qui iura reddunt“ a „principibus, qui consultant“ diversi esse non possunt. In sententia enim „Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt“ — particula „et“ i. e. „etiam“ aut ad vocabulum „principes“ tantum, aut ad totum enuntiatum „principes, qui iura per pagos vicosque reddunt“ pertinet. Si ad solum „principes“ pertinet, illud „qui iura per pagos vicosque reddunt“ ita intelligendum est: „Eliguntur in iisdem conciliis etiam principes (scil. omnes) eidemque iura reddunt.“ Sed haec interpretatio vera esse tum solum posset, si hoc loco prima esset „principum“ mentio. Verbis enim „etiam principes“ novum quiddam neque antea memoratum induci nemo

non videt. Novum autem quiddam „principes“ iam non sunt; de eis enim iam capite praecedente multa eaque gravissima narrata sunt. Referenda est igitur particula „et“ non ad „principes“ in universum, sed ad „principum“ (qui lectori iam noti sunt) munus quoddam aliud, quod quale sit, verbis „qui iura per pagos vicosque reddunt.“ quomodo et ubi ad eos deferatur, verbis „eliguntur in iisdem conciliis“ accuratius significatur. — Quapropter quaestio de codicum scripturis, sive „reddunt“ habent, sive „reddant,“ vix ullius est ad verba interpretanda momenti; verba „qui iura.....“ cum „principes“ unam efficere notionem constat, sive eligendi consilium („reddant“), sive solum factum („reddunt“) declarant. Utram autem scripturam utri anteponamus si quis quaerat, „reddunt“ malumus, quod codices meliores [42]) praebent, quodque nulla causa est, cur reiiciamus; sententia enim ita simplex est atque clara.

Verbis igitur „eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt“ Tacitus de munere quodam dicit, cui obeundo ex principibus, qui aderant omnes, in ipso concilio quidam eligi solebant.

Quod si Tacitus intelligi voluit, neque aptiori verbo, quam „eligere“ uti potuit. „Eligere“ enim eo differt a „creando,“ quod verbo „eligere“ magis significatur: discerni inter plura similia quiddam; verbo autem „creare“ magis: fieri id, quod discretum, electum sit, et re et nomine novum. Sententia igitur ea est, ut qui eligantur ad ius dicendum, non eo ipso fiant principes, sed principes et fuerint ante et deinceps, accepto iuris dicendi mandato, maneant.

Sed ut dicit Loebellius p. 505., locus accuratius et simplicius explicatur, si verba „principes, qui..... reddunt“ ita accipiuntur, principes: qui iudiciis praesint. Quanquam autem ei libenter concedimus, esse vocabulo „princeps“ notionem: qui praeest, nusquam tamen ea res, cui princeps praesit, relativo „qui“ cum vocabulo illo coniuncta invenitur: ubicunque ea res, cuius quis est princeps, genitivo adiungitur. Non agitur hoc loco de eo, utrum „principes, qui....reddunt“ et principes,

---

42) P, Rc, Rf, plerique omnes, cf. Massmann, Taciti Germania, 1847.

qui comitatum habent, eidem sint necne; quare huius loci difficultates minime removentur his Loebellii (p. 505.) verbis: „Princeps ist (dem Tacitus) der Obere in Amt und Würde, er sei Adliger oder nicht, für die Geschäfte des Krieges [43]) oder des Friedens bestimmt.“ Loebellii igitur interpretatio, ex qua sequeretur, ut ei, qui „eliguntur,“ electione demum ipsa principes fierent, reiicienda est. Quod ad eam confirmandam affert, quae sunt de principibus capp. 13. et 14., ea ipsi contraria sunt, quum comitatus nullus sit magistratus. — Quae quum ita sint, verbis „principes, qui ... reddunt“ neque proprie neque in universum magistratûs cuiusdam n o m e n indicatur, sed verbo quidem „principes“ numerus, ex quo in concilio quidam eliguntur, verbis autem „qui iura per pagos vicosque reddunt“ munus, quod obeunt.

Ex hoc igitur loco, principes Germani quinam fuerint et quales, nihil discimus. Possunt mandatum accipere in concilio, ut iura per pagos vicosque reddant; principes fuerunt, et ex eorum quidem numero, qui c. 11. nominantur.

Atque ita demonstratum est, et capp. 11. et 12. eosdem, et capp. 13. et 14. item eosdem memorari principes. Priores autem non alios esse, quam alteros, iam sine negotio intelligitur ex eo, quod capitis 13. initio illud „principum aliquis“ ita positum est, ut manifesto ad capita 12. et 11. referendum sit.

Unius ergo verbi „principis“ omnibus Germ. capitibus 11. — 15. una notio est.

Itaque huius principatus quae sit cum nobilitate necessitudo, § 25.
quaeritur. Qua de re quum multa essent disputata, denique ea sententia valere videbatur, quam Loebellius, sed multo acrius accuratiusque Waitzius protulit: principum cum nobilitate necessitudinem esse nullam. — Ab eis controversia illa adversus Savignium agitata est, qui principes nobiles esse contendit. Nos quum iam aliis permultis et gravissimis causis adducti simus, ut nobilitati omnem principatum tribuere non dubitemus, certe non possumus, quin et in hoc descendamus certamen, neque solum

43) Unde Loebellius sciebat, principes, qui comitatum habeant, propter ipsum comitatum fuisse magistratus „Obere für die Geschäfte des Krieges?“ Tacito quidem auctore comites non lege vel iussu populi principibus aggregabantur. Erat comitatus gentis quidem institutum, sed non magistratus, comitumque principes liberae societatis militaris erant duces.

aliorum sententiis refutandis, sed nostrae etiam firmius stabiliendae faciamus periculum. —

Principes igitur eidem sunt omnes. Quod quum omni dubitatione careat, ita progrediendum est, ut quaeramus, unde sint, quonam modo principes facti, eius principatus quae origo? Quae res, si Loebellio Waitzioque credimus, a Tacito ipso explicata est G. 12. (Eliguntur.... et principes...) et 22. (de.. asciscendis principibus... consultant); Loebellius etiam c. 13. (principis dignationem assignant) affert. Putant enim Tacitum eis locis docere, fieri, creari principes ex multitudine.

Sed locum primum „eliguntur.. et principes“ non ad hanc rem pertinere iam compertum habemus. Loco autem altero cap. 22.[44]) ne de eligendis quidem principibus cogitari potest. Primum enim cum loco „eliguntur.... “pugnaret, quippe quo dictum, sit, eligi in conciliis principes; armatorum autem concilia (G. 11. et 12.) non sunt convivia. Deinde verbum „asciscere“ vix quinque locis ex omni scriptorum latinorum multitudine petitis „eligendi“ notionem habet; propria eius notio, sexcentis omnium scriptorum locis confirmata haec est: „aliunde arcessere, repetere;“ quam negligere vetamur loco Germaniae alio, ad quem aperte verba nostra sunt referenda. Sunt autem ea (c. 13): „Nec solum in sua gente cuique (principi), sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est (principis), si (princeps) numero ac virtute comitatus emineat; **expetuntur** enim (principes) legationibus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella profligant.“ Ad haec verba perspicuum est c. 22. illa pertinere, neque aliam ferre „asciscendi“ interpretationem. Et haec de duobus locis prioribus. Tertium vero (G. 13.) toto coelo ab illorum virorum sententiam alienum esse, mox demonstrabimus.

De principum origine apud Tacitum nihil reperitur. Eam igitur, quam Loebellius et Waitzius ingressi sunt viam ad perspiciendam nobilitatis principatusque necessitudinem, obstructam esse fatendum est.

Itaque quaerentibus nobis novas vias iterum Waitzius et

---

44) „Sed et de reconciliandis invicem inimicis et iungendis affinitatibus et asciscendis principibus, de pace denique ac bello, plerumque in conviviis consultant.“

Loebellius obstant, qui contra Savignium multa opera et labore evincere studuerunt, verbum „principes“ non idem valere ac „nobiles.“ Ac profecto id quidem evicerunt. Neque tamen eiusmodi quid Savignius, si eius verba accuratius perpendimus, dixit. Esse quidem principes ex nobilitate, verboque „principes“ semper nobiles significare, contendit. Propter solam autem nobilitatem nobiles omnes fuisse principes, non modo non affirmavit, sed negavit p. 12: „in der Regel aber fängt der junge Adel damit an, in dem Comitat eines Andern, schon reifern zu dienen.“ Certe si nobilium iuventus in principis cuiusdam comitatu fuit, non nobilitas sola id effecit, ut quis esset princeps. Quidquid igitur Loebellius et Waitzius de differentia illa inter „principes“ et „nobiles“ dixerunt, neque in Savignium id, neque in nos cadit.

Posse principes omnes esse ex nobilitate, id et ex eis sequitur, quae supra uberius ostendimus, et elucet ex eo, quod Tacitus nusquam nobilitatem principibus negat. Verbum autem „principes“ propriam habere „nobilitatis“ notionem, non affirmamus cum Eichhornio; verum id quidem viderunt Loebellius et Waitzius, qui vocabulum illud eos significare dixerunt, qui summa sunt in re republica auctoritate. Principes tamen nihil aliud esse, quam magistratus, minime sequitur. Quicunque summam tenet auctoritatem, is a latinis iure princeps appellatur. Principatus igitur apud Germanos nihil aliud significat, quam summam in re publica auctoritatem. Id igitur item affirmamus, nobilitati eum principatum esse addicendum, quippe quam summa in re publica fuisse auctoritate capite secundo demonstraverimus.

D.

Sed alia est ad cognoscendam nobilitatis et principatus neces- § 26.
situdinem via haud minus certa. De industria quidem Tacitus nihil indicat; videamus, num quid data occassione prodat. Multa enim narrat de eis, quae principes agunt — in concilio, in iudiciis, in comitatibus, in bello. In quibus enarrandis quanquam fieri quidem facile potest, ut ne verbo quidem eam necessitudinem prodiderit (quanto enim arctius vinculum illud erat, tanto magis supervacaneum videri Tacito poterat, ea de re quidquam dicere,) attamen ei aliquid excidere potuit. Cuius generis si quid usquam deprehenderimus, si quid eum de principatu referre viderimus,

quod ita in nobilitatem cadat, ut duobus esse commune non possit, nisi sint unum idemque, vel si quo loco, ubi de principibus agitur, subito verbum „nobiles“ pro „principes“ eum usurpare cognoverimus, denique si universam eius de principibus dicendi rationem illud indicare intellexerimus: tanto certius sententiae nostrae habemus documentum, quanto his in rebus maiorem fidem tribuere debemus casu dictis, quam consulto. Ac sunt quidem apud Tacitum id genus nonnulla. —

Nobilitatis duo maxime propria sunt ac peculiaria; alterum, quod ordo est certis finibus circumscriptus idemque ceterorum ordinum princeps; alterum, quod arctissime cum regno coniuncta est. Ita autem prorsus principatus comparatus est, quem Tacitus capp. 11. et sequentibus describit.

Qua de re maxime capp. 11. inspiciendum est, quo de concilio disseritur, i. e. de ea rei publicae parte, in qua optime, qua quisque fuerit auctoritate, cernitur. Primum autem iam „principes“ soli res minoris momenti, non adhibito concilio, deliberant ac decernunt. Sed inde nondum necessario sequitur, esse in principibus aliquid, quo quasi ordinis quodam vinculo contineantur. Talis autem vis inest in verbis „de maioribus omnes: ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur.“ Verbis: „de maioribus omnes“ ad concilium describendum Tacitus transit. Qua in re id gravissimum esse iudicat, ut, quanta cuiusque sit in consultando auctoritas, dicat. Distinguit igitur in concilio inter arbitrium et ipsam pertractationem. Fuerunt, qui hanc pertractationem idem esse dicerent, quod προβούλευμα, προβουλεύεσθαι apud veteres, quorum γερουσία vel βουλή ea, quae erant ab ἀγορᾷ, a δήμῳ deliberanda, antea consultabat. Muretus eam solam ob rem „praetractentur“ maluit. Sed haec neque omnino verbi „pertractare“ vis est, neque recte vocabulo „arbitrium“ opponitur. Verbo enim „pertractatio“ notio prorsus eadem subest, quae inest in nostro „Debatte, Discussion.“ „Arbitrium“ autem sententia est, quae pertractata de re ac perorata fertur, vel eam ferendi potestas „Pertractatio“ igitur et „arbitrium“ ita sibi opposita sunt, ut nostra „Verhandlung“ et „Entscheidung“. Haec igitur oppositio talis est, ut plebs, i. e. ii, qui non erant principes, pertractationis non essent participes, sed eis demum, quae a princi-

pibus dicta erant, permoti[45]) aut assentirent aut aspernarentur.[46]) Aliud nihil a plebe agebatur. Quicunque igitur rem publicam Germanicam eam fuisse putarunt, ut unicuique in concilio sententiam proferre ac defendere licuisset, ei cum clarrissimis Taciti verbis pugnant.

Quae interpretatio confirmatur aliis eiusdem capitis verbis aeque claris: „Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis, quam iubendi potestate.“ Quae a nullo dum recte videntur esse exposita. Verum enim vero, quod sane mirandum est, ab omnibus ita adhibita sunt, ut vel hoc contrarium demonstrarent: cuicunque ex plebe licuisse in concilio dicere.

Verba „prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est,“ non novos significant oratores; referenda enim sunt ad illa „rex vel princeps,“ vel potius, cum rex semper unus fuerit, ad solum illud „princeps.“ At vero in eo numerus pluralis non videtur inesse. Sed videtur tantum. Et profecto de hac re non dubitabis, modo ne unum atque summum principem civitatis intelligas, sed principes ineunte hoc ipso capite nominatos, qui, ut quisque erat aetate, nobilitate, bellorum decore, facundia praestantissimus, ita libentissime ac primi audiebantur. Quum autem sententia „prout..... est“ cum vocabulo „princeps“ prorsus coniuncta sit neque ab eo separari queat, numerus pluralis a nemine desideratur, nisi forte quis etiam in hac eum sententia desideret: „Dann sprechen der König oder ein Fürst, je nach Maassgabe des Alters, des Adels, des Kriegsruhmes, der Beredsamkeit eines jeden.“ — Verba denique „auctoritate magis, quam iubendi potestate“ quum prorsus consentiant cum illis „ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractantur“ vel cum eisdem conversis „eorum (quoque), quae apud principes pertractantur, penes plebem arbitrium est“ necesse est eosdem principes significent.

---

45) G. 11.: Si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum adsensus genus est, armis laudare. — 46) Quare per se quidem liquet, coram populo, i. e. in concilio res a principibus esse pertractatas.

Quae quum ita sint, principatus ipse eius erat naturae, ut omnes alios a re publica regenda excluderet.[47]) Tam late autem patentem tamque firmis finibus adversus populi licentiam munitam potestatem principes a populo ipso accepisse quis credat? — Nihil aliud restat, quam ortum esse eum principatum ex nobilitate.

Accedit res alia. Capite secundo cognovimus, proximam nobilitati cum regno esse necessitudinem neque vacuam quandam, sed vivam et a populo agnitam. Atque capite hoc eam cum regno necessitudinem a principibus occupatam esse vidimus! Sane optimo iure principes propter nobilitatem eum tenere locum iudicamus.[48])

§ 27. Neque in concilio tantum, verum in rebus publicis gerendis omnibus Germanorum, principes sunt ex nobilitate, neque ullus princeps apud Tacitum nominatur, quin fuerit nobilis.

Arminius, Italici patruus:[49]) Quando (Italicus) nobilitate ceteros anteiret. Ann. XI, 17.

Segestes, uxoris Arminii pater: Inerant (in propinquorum et clientium manu) feminae nobiles, inter quas uxor Arminii, eademque filia Segestis. Ann. I, 57.

Nominantur Arminius et Segestes principes Ann. I, 55.

Inguiomerus, Arminii patruus Ann. I, 60., ibidem principis auctoritate est ob eamque causam a Romanis iam pridem in amicitiam pellectus erat; Ann. I, 68. inter duces appellatur, non in acie tantum, sed in concilio, quod habitum est ante pugnam.

Cariovalda, dux Batavorum, „quorum cohortes vetere instituto nobilissimi popularium regebant.“ Hist. IV, 12.

Quum autem institutum illud ex antiquis Batavorum temporibus esset oriundum, quibus adhuc „Cattorum pars erant,“[50])

---

47) Hoc loco quaerendum est, num id ita esse posset, si, quod volunt Loebellius, Waitzius, alii, ex plebe ab ingenuis essent creati? Certe cum ea libertate, quam isti in Germanorum rei publicae formam inducere volunt, convenire talis exclusio nequit. Quare optime ei quidem sibi constant, qui ab ingenuis et magistratus creatos et res publicas in concilio ab omnibus promiscue tractatas esse dicunt.

48) Savignio igitur iustam, non Romanam quidem vel Graecam, sed Germanicam statuenti ἀριστοκρατίαν assentiendum est.

49) Ann. II, 9.

50) Hist. IV, 12. coll. G. 29.

etiam Cattorum principes Arpus,[51]) Adgandestrius,[52]) Cattumerus[53]) ex nobilitate erant.

Accedit Brinno, Caninefatum dux, „claritate natalium insigni,“[54]) et Gannascus, dux Caninefas.[55])

Catualda, qui Maroboduum regno depulit, „inter Gotones vir erat nobilis.“[56]) Ceteri omnes in rebus Germanorum gerendis per illud tempus conspicui, non nobiles tantum erant, sed reges vel regia stirpe orti, unde sponte eorum nobilitas apparet. Sed de regno disputatum iam supra est.

Principes autem quicunque memorantur, si ad unum omnes ex nobilitate sunt, si et nobilitas principatum et nobilitatem principes poscunt, certe ne ullum quidem est documentum, quo utantur ei, qui vel nobilitatem principatui, vel nobilitati principatum abiudicant.

Venimus ad ultimum et apertissimum sententiae nostrae § 28. documentum. Sunt enim loci Tacitei, quibus quum de solis principibus sermo sit, subito pro „principes“ ponitur „nobiles“; ex quo apparet, inesse in verbo „principes“ ipsam nobilitatis notionem.

Primus est Ann. I, 55: „Segestes.... suasit Varo, ut se et Arminium et ceteros proceres vinciret: nihil ausuram plebem principibus amotis.“ Cui loco si verba G. 8. a nobis pag. 18 exposita comparamus: „adeo, ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur“, de una eademque re in utrisque esse sermonem in aperto est. In priore dicitur, gentem prorsus ad fidem devinciri traditis Varo principibus; in altero, gentium Germanicarum fidem optime obligari traditis obsidum numero nobilibus. Quis igitur „principes“ illos nobiles esse negabit? Quare utrisque locis verba „nobiles“ et „principes“ ita sunt promiscue usurparta, ut utrisque verbis, sive uno sive altero, ei significentur, quibus amotis neque plebs perficere quidquam potest, neque civitas omnino **esse** atque **existere;** qui certe alii non sunt, quam penes quos est auctoritas publica. Intercedit autem inter ea hoc discrimen,

51) Ann. II, 7. — 52) Ann. II. 88. — 53) Ann. XI, 16. — 54) Hist. IV, 15. — 55) Ann. XI, 18. — 56) Ann. II, 62.

ut verbo „principes“ tantummodo **auctoritas publica,** verbo „nobilis“ **ordo,** cuius est auctoritas publica omnis, significetur. Et de priore loco hactenus. —

§ 29. Alter est G. 14. Qui quum sit de comitatibus, ad eum explanandum aggredi ante non possumus, quam et de capp. 13. et 14. in universum et de capitis 13. locis quibusdam controversis dixerimus.

Comitatuum institutum si universe consideramus, id primum certum est, eos, qui praesint, appellatos a Tacito esse principes, comites vero eos, quibus praesint. Quorum quae fuerit necessitudo, disertis verbis capp. 13. et 14. expositum est. In comitatibus omnis Germanorum tam pugnandi, quam gloriae cupiditas alebatur vigebatque. Dubitandum igitur non est, quin omnes Germani comitatuum fuerint aut principes aut comites.[57] Vinculum autem, quo princeps comitesque continentur, tam firmum erat, ut copulati essent vitae societate. Neque tamen principes comitibus erant aequales. Comites enim principibus omnia praestabant, omnia tradebant, vires, vitam, gloriam; sed ornabantur quoque donis muneribusque principum.

Quod institutum quum sit tanti in Germanorum vita momenti, iure quaeritur, quomodo eam societatem iunxerint atque inierint.

§ 30. „Principes“ non aliam hic notionem habent, quam cap. 12. (cf. pag. 36). Horum autem auctoritas facile nos commoveat, ut non libere iniisse Germanos comitatum suspicemur. At vero severam magistratus Romani naturam minime habebat principum illa quidem auctoritas, neque praeclara illa comitum fides religioque cogitari posset, nisi liberrime comitatus iniissent. Quapropter parum aberat, quin essemus commoti, ut cuicunque, prout liberet, aditum ad comitatum patuisse putaremus. — Verum, ut assolet, in medio. Capitis 13. interpretatio dubitationem ea de re relinquet nullam.

Quum Tacitus administrandarum rerum publicarum rationem 11. et 12. potissimum capp. exposuisset, ad describendam Germanorum indolem singularem, quam c. 11. (considunt armati) significaverat, institutumque quoddam ex ea profectum transit

57) Quod exposito quidem c. 13. etiam clarius elucebit.

his verbis: „Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt.“ Jam igitur Tacito accuratius enarrandum erit, quomodo animus ille militaris per omnes eorum res privatas publicasque valeat. Imbuitur autem eo, quicunque Germanus est, sive ingenuus sive nobilis, ineunte aetate iuvenili. Tum a civitate ipsa („in ipso concilio“) arma accipit, viri Germani insigne. Quo quidem insigni an quis dignus sit necne, in civitatis est arbitrio („non ante...., quam civitas suffecturum probaverit“). Civitas quid sit, in exponendo cap. 11. perspeximus: „Ea quoque omnia, quorum penes pebem arbitrium est, apud principes pertractantur.“

Unde manifestum est, eos iuvenes tum demum plebis arbitrio probatos esse, quum principes eos suffecturos armis, i. e. dignos, qui armis ornentur, declaraverint. Quod simul ac declaratum et a plebe iussum est, vel a principum aliquo, si ornandus erat ingenuus, vel, si nobilis, a patre propinquove principe[58]) iuvenis scutum frameamque accipit. Atque hoc loco paulisper subsistamus quaeramusque, num ullo modo fieri possit, ut sententia iam sequenti: „Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adolescentulis adsignant“ de principis electione sermo sit? Quod qui contendunt, sunt autem non pauci eidemque clarissimi viri, valde in eo errant, quod sententiam iam recte se habere putant, si verbo illi „dignatio“ praeter alias notiones dignitatis quoque vim esse ostenderint. Etenim nisi domonstraverint, verbo „dignatio“ aliam quam dignitatis significationem esse omnino nullam unquam posse, sententia illa veritatis etiam specie destituta est. Id autem ne demonstrent, non admodum verendum est. Verbum enim „dignatio“ non solum vim transitivam „aliorum existimationis“ habet, sed propriam habet et primam;[59]) quae quum propter sententiarum ordinem sola ferri possit, nihil omnino est,

58) Arma enim tradere quum sit civitatis, nemo certe potuit nisi princeps.

59) Eaque alio quoque eiusdem libelli loco usurpatur c. 26. Ibi enim dignitatis vim propterea habere non potest, quod agri „secundum dignationem“ etiam eis attribuebantur, quibus, ut hominibus privatis, secundum dignitatem attribui non poterant. Dignatio autem aperte principum erat.

cur eam deseramus. Praeterea verba „ceteris[60]) robustioribus ac iam pridem probatis aggregantur" sententiam „Insignis...." cum illis „nec rubor.... aspici" tam arcte connectunt, ut neque verba „Insignis...." neque illa „nec rubor....." de adolescentulis comitibus possint non intelligi. Qua in sententia si de comitibus sermo est, „dignatio" intransitive accipi non potest. Sed ut verbis demum „ceteris" de comitibus dicatur, tum certe „ceteri" sunt iuvenes Germani reliqui omnes, qui non ante peractam pueritiam armis ornantur. Ac de iis omnibus Tacitus in verbis „nec rubor inter comites aspici" ita loquitur, ut eum metuere appareat, ne lector id iuvenem Germanum minus decere putet. Id vero cur lector existimet, nihil est. Refutari autem a Tacito verbis „nec rubor..." lectoris quandam supicionem, nemo non videt. Quae suspicio quum de Germanis in universum oriri non possit, in lectorum animo nulla, nisi de hominibus alicuius praestantiae cogitari potest. De hac autem praestantia proximis verbis „Insignis..... aggregantur" dictum esse fatendum eam ob causam est, quod coniunctio „nec" adhibita est. In sententia igitur illa „Insignis...." de eisdem sermo est, quos non pudere oportet „inter comites aspici." Etiam ea, quae sequuntur, in hanc solam quadrant sententiam. Verbis enim „Gradus quin etiam et ipse comitatus habet, iudicio eius, quem sectantur....", quae rectissime sermone vernaculo sic vertantur: Die Mannschaft hat ja übrigens auch Stufen — nihil aliud dicit Tacitus, quam ut lectoris admirationi satisfaciat. Minime enim, inquit, vel inter comites praestantia illa a principe prorsus negligitur; cognoscuntur enim etiam inter comites et agnoscuntur a principe „insignis nobilitas et magna patrum merita"; quanquam etiam virtute ac fide Principis laudem assequi comites possunt.

Aliter igitur ac „aestimatio", „iudicium benignum" accipi „dignatio" non potest. Fuere, qui, ut „dignitatis" vim in illa sententia retinerent, „ceteris" mutare quidem non auderent, sed ad principes referrent. Quos qui sequitur, verbis „ceteris... aggregantur" haec fere dici opinabitur: Ei principes, qui ita creati

60) „Ceteri" qui cum Lipsio volunt, codicum omnium auctoritatem adversam habent.

sunt, primum aliorum robustiorum principum comitatui aggregantur, donec ipsi comites ducere possunt. — Quae agendi ratio num ipsorum auctoritati profuerit, nescio. Sane quum magnum dignitatis detrimentum immineret, cur nobilissimi potissimum iuvenilem aetatem non expectaverint, non perspicio.

Ea igitur interpretatio ferri non potest. Revertamur ad eos, qui sententiam „Insignis..... adsignant“ de principibus creandis, „ceteris.... “autem de comitibus intelligunt. Quorum illud maxime admiror, quod Tacitum hoc loco quandam retulisse velint exceptionem, cuius regulam nusquam memoravit, nisi forte c. 12.: „Eliguntur....“ id factum esse opinentur.

Haec autem verba quum ab ipsorum sententia sint alina (cf. pag. 36.), nihil eis superest, quam exceptio, cuius regula ignoratur. Insuper exceptio ea est, ut, etiamsi regula apud Tacitum inveniretur, ferri tamen non posset. Quis enim eos, qui comitum vix consecuti iustam sint aetatem, principes factos esse, unquam credat!

Denique sententiam „Insignis“ cum ea, quae praecedit, omnino esse coniungendam, inde manisfestum est, quod comparativus „etiam adolescentulis“ alio, quam ad „iuvenem,“ „iuventae“ referri non potest.

Et haec quidem de loco iam satis, credo, vexato. Nostra igitur eius interpretatio haec est: Plerique iuvenes Germani tum demum in concilio armis ornantur, quum satis habere aetatis roborisque putantur a civitate i. e. a principibus plebeque. Tum a principum aliquo arma accipiunt iubente plebe. Sed est, quando id maturius fiat. Patrum enim de re publica praeclare merita saepe a civitate remunerantur ornandis maturius „primo iuventae honore“ filiis. Nobilissimarum, praesertim regiarum familiarum filios quam maturrime „rei publicae partem“ fieri, ipsius civitatis interest. Quare et ipsi, quamvis adolescentuli, a principum aliquo, vel ubi rex adest, a rege scuto frameaque digni iudicantur; aggregantur ceteris eiusdem principis comitibus robustioribus ac iam pridem probatis; nec eis dedecori est vel nobilitatis eorum auctoritatem apud plebem minuit, quod inter comites aspiciuntur. Neque enim omnium comitum apud principem eadem est conditio. —

Ex hoc igitur loco, vel si accuratius loquendum sit, a sententia „Insignis.... “Tacitus comitatuum institutum exponere orditur.

Sed ne id quidem satis accurate dictum est. Etenim propter comparativum „etiam adolescentulis" ea quoque, quae sententiam „Insignis..." praecedunt, ad eam pertinent. Comitatum igitur enarrare Tacitus orditur verbis eis, quibus „arma sumendi" morem describit.

§ 31. Ex huius igitur capitis nexu interiori iam duo constant: unum, iuvenes simulatque armis ornati essent, eum principem deinceps omnino sequi consuevisse, a quo arma accepissent[61]; alterum, hanc multorum cum uno principe societatem, traditis ab eo armis inceptam, comitatus esse institutum.

De quo pauca sunt, quae ex cap. 14. addamus.

Comitum principisque tam firma est necessitudo, ut comites principi arma, vires, vitam devoveant. Principi totos se tradunt. A principe arma acceperunt, — arma per totam vitam tractant pro principe. A principe in rem publicam asciti sunt — in ipsius deinceps comitatu rei publicae serviunt. Si patria eos poscit, inveniuntur in principis comitatu. Quid patria postulet, videre, principis est; comitum fides ad perficienda eius consilia praesto est. Si pugnandum esse principi visum fuerit, — comites principi non deerunt. Comites principis gloriam quaerunt, non suam: „Principes pro victoria pugnant, comites pro principe." Comites bellum tantum postulant, sed a principe. Principem enim, nisi bellum gerendum est, cogunt, ut se ducat in aciem, ut ipso duce equos conscendere, per hostium ire catervas, hostium pectoribus infigere frameas liceat.[62] Tum demum eorum animo augendae principis gloriae flagranti satisfacit. Quanquam enim princeps comitibus pro stipendio epulas largissimas parat eosque muneribus affatim ornat, bella tamen eorum sunt deliciae.

Bellum igitur comites exigunt a principe; ubi sit et cum quibus bellandum, id in principis solius est iudicio. Principes enim sciunt, qua de re pugnetur; comites pugnant, non admodum curiosi, qua de re certamen sit: esse illud pro

---

61) Quocirca ei, qui comitatum ducit, propter comitatum quidem „principis" nomen esse negamus; „principem" eum ante esse oportebat, quam arma iuvenibus traderet comitatumque haberet.

62) „Exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam."

principe, comiti satis est. „Principes pro victoria pugnant, comites pro principe.“ Principum autem ipsorum quoque multum interest, ne comites bello careant. Primum enim gentis indolem bellicam optime norunt, neque sane habent, cur eam non nutriant. Deinde probe sciunt, suam ipsorum gloriam, cui comites „fortia facta assignare“ solent, longa pace obsolescere atque imminui. Denique quum sit comitatus ipsis etiam alendus, certe „munificentiae materiam quaerere per bella et raptus“, quam suas opes domesticas consumi malunt. Quae quum principes facile sciant, minime mirandum est, quod bella externa circumspiciunt, easque nationes, quae tum bellum aliquod gerunt, nisi sint, ut solet, ab eis vocati, ultro petunt. —

Protulimus capitis 14. sententiarum nexum, quem verum esse ipsa eius perspicuitas comprobat. Omnia sponte elucent, — praeter unum hunc locum: „plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt; quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescant, magnumque comitatum nonnisi vi belloque tueare.“

Qua in sententia omnia recte procedunt, exceptis verbis „nobilium adolescentium.“ Eorum enim loco nexus postulat **„principum.“** Cur autem Tacitus pro „principum“ posuit „nobilium adolescentium?“ Responderi nihil aliud potest, quam: quod poni „nobilium adolescentium“ pro „principum **potest**.“

„Nobiles igitur adolescentes“ **re** eidem sunt, qui „principes.“ Principes omnes fuisse ex nobilitate, nobilitatem principatum obtinuisse, Tacitus ipse nobis prodidit.

Exempli tantum gratia Taciti locum Hist. IV, 12. afferimus: „Batavorum cohortibus, quas vetere instituto,“ i. e. quum non Romanam cohortium, sed Germanicam comitatuum formam haberent, „nobilissimi popularium regebant.“

CAPUT IV.

De Germanorum nobilitatis natura.

Quum singula, quae sunt de nobilitatis in re publica Germanica auctoritate, exposuerimus, iam restat, ut eius auctoritatis causam quaeramus. Quaerenda enim nobilitatis natura. Ut autem cuiuscumque rei natura ex eis perspicitur, quae ex illa, tanquam ex causa, profecta sunt atque effecta, ita etiam nobilitatis natura in ipsius vi i. e. in eius auctoritate sita est. De qua haec fere sunt, quae cognovimus:

1. Nobilitas apud omnes gentes Germanicas primus ordo et est et a populo habetur.

2. Nobilitas, et propter ipsius graduum ordinem et propter regni naturam, cum regno ita coniuncta est, ut aliam ac regni naturam habere nequeat.

3. Nobilitas universum rerum Germanicarum tenet principatum.

Quae qui vel obiter consideraverit, principatum ipsum nobilitatis naturam fuisse fatebitur. Principatûs autem summa regnum est; progrediendum igitur eo est, ut, ad definiendam nobilitatis naturam, hanc eius cum regno necessitatem adhibeamus. Quam rem, verum ut fateamur, ita se habere hac nostra disputatione cognovimus, ut vix diiudicari possit, utrum regnum nobilitatis fuisse quasi flos quidam, an nobilitas ipsum fuisse regnum, a rege per totam civitatem quasi ramis quibusdam patens rectius dicatur. Itaque vetus Germanorum res publica sic fuit temperata, ut, nisi alienis institutis corrumperetur, nobilitas nunquam sine regno esset, regnum nunquam sine nobilitate. Utrorumque natura **principatus** est, **generis ordine et perpetuitate stabilitus,** qui **nobilitate** populi partes continebat singulas, **regno** cunctas in unum corpus comprehensas moderabatur.

EPILOGUS.

Nobilitatis Germanorum veteris naturam, historia i. e. Tacito duce sine ira et studio, opinionibus praeiudicatis nullis admissis investigavimus.

Tempora diversa, quorum nexus qualis esset, nondum constaret, confundenda non esse, persuasum habuimus.

Priusquam autem temporum diversorum nexus cognosceretur, ipsa pervestiganda esse cognovimus. Quare quum nobilitatis Germanicae veteris naturam quaerendam nobis proponeremus, ea via relicta, quam ab omnibus fere tritam videramus, usque ab illa aetate repetivimus, quae et temporis habita ratione prima, et propter auctorem Tacitum maxime perspicua, et ad investigandas eas, quae secutae sunt aetates, necessaria esse visa est. Quorum quidem primum alterumque ipsa nostra disputatio, num rectam secuti simus rationem, dubitanti facile comprobabit. Ad tertium autem quod attinet, non dubito, quin ex ea, quae iam a nobis statuta est, nobilitate, (habita ea, quam par est, rerum conditionumque ratione,) certo quaecunque de sequentium aetatum nobilitate memoriae prodita sunt, quantum fieri possit, intelligantur. Ita demum, quid sit quacunque aetate in nobilitate novum, quid antiquum, quid Germanicum peregrinumve, apparebit.